


BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI



Respice in faciem
Veræ
De Vera et Simulata Ictorum Philosoph
Pejor Opinione
P. Thelott fecit

# DE VERA
# ET
# SIMULATA
## JURISCONSULTORUM
## PHILOSOPHIA,

Ad Illuſtriſſimum Baronem
Boineburgium

In qua diſſertatione elegantes non vulgares pertractantur materiæ, quas in ſumma ex Præfatione ad Lectorem videre licebit,

*Autore*

JOH. BRANDES.




*FRANCOFVRTI*
Impenſis Joh. Davidis Zunneri, Bibliop.

Typis Johannis Andreæ,
M. DC. LXVIII.



*Illustrissimo Viro*
*Domino*
# Johanni Christiano Libero Baroni à Boineburg Equiti Aurato,
*Domino suo plurimum observando.*

**S. D.**



NOn unam ob cauſam me Tibi obligari, vir Illuſtriſſime, conſcientia conſtrictum teneo. Aut enim ab eo, quod diu Eruditus Orbis admiratur, mihi ordiendum eſt, ingenita bonitate & comitate tua, quas in tanto eminentis fortunæ faſtigio tam amice conjugatas nunquam non dico videre, ſed ne conjectura aſſequi licuit. Sed ſicuti illa jam Clariſſimorum pręconiis

nobilitata ſunt; ita hoc præ aliis mihi aſſerendum eſt, Illuſtriſſimam Tuam Excellentiam humanitatis officiis & facilitate me ita affeciſſe, ita ſibi devinxiſſe, quam quem maxime. Præterquam enim quod in remiſſionibus & Seceſſu Svallbacenſi ultro mihi offerebatur longiſſimos dies colloquiis condire, ſermonibuſque mutuis veſperam haud raro extendere, profundiſſimumque de variis Autoribus judicium, quidque

in

in singulis sequendum, quid caute declinandum, exaudire, Attonitum me sæpius fecit *expeditum in intricatissimis arbitrium, in varietate promptissimum, in extemporaneo quovis arduo decidendo dexterrimum, cui eo major reverentia debetur, quo magis usu exercitum prudentiaque civili munitum est*, ut tum non temere colligerem, quod nunc sine assentatione publice fatendum: *Te tanquam Lynceum videre omnia, probatum esse per totam ætatem iis actionibus & curis, unde salus publi-*

*ca manare solet.* Et ut universe dicam: *Omnibus eruditis viris magnitudine Te tua inducere caliginem.* Sed illa jam uberius explicare super vacaneum, & Illustrissimæ tuæ Excellentiæ, scio, esset odiosum, tacere omnimodo mihi vitio verti poterat. Sint Patriæ lumina, ut sunt, Excellentiæ & Virtutis tuæ buccinatores, mihi, ne parcius dicendo in famam tuam patriæ nostræ communi venerandam peccem, providendum, & id saltem dicendum

est,

est, me, nisi ingratum nonpotuisse, & nisi Rei meæ negligentem & incuriosum non voluisse hoc de vera Philosophia præludium alius quam Tuæ Illustris. Excell. gratiæ insinuare. A cujus enim magis quam à tuo splendore lumen mutuer? Sub cujus autoritate tutior quam tua sim, omni livori & malevolentię reformidando prę-sidio? Largire itaque, Vir Illustrissime, hoc meæ in Te observantiæ, & dignitatem rei, materiamque

ipſam ſatis illuſtrem Tenuitati meæ præferenda eſſe, Tute tibi perſvade. Satis me aſſecutum arbitrabor, *Si placeam Tibi, diſpliceam aliis.* Si quid in materiæ gravitatem juvenilis incuria forſan commiſit, maturati judicii, & futuri otii erit, illud in ſecutura, ſi nulla vis interpellaverit, parte retractare & limare.

Me qui forte hallucinantem non excuſandum putet, cogitet velim in graviſſimo hoc ſtudio vel ſeni ceſpitanti ignoſcen-

ſcendum eſſe. Altius ituros credidit antiquitas illos, qui ad ſumma nituntur, quam qui præſumpta deſperatione quo velint evadendi, protinus circa ima ſubſiſtunt. Certe

*Non omnes arbuſta juvant*
*humileſq; Myricæ.*

Accipe igitur, Vir Illuſtriſſime, hoc quicquid eſt levidenſis, illudque autoritate tua tegere ne gravare, & perge favere non dicam Eruditis, quæ tua propria ſunt, ſed Eruditionis cultoribus. Meum erit Deum precari, ut Te

a 5 reip.

reip. commodo ſalvum & incolumem diu ſervet, æternaque laude floreſcentis virtutis gloriam quotidie augeat. Vale. Scribebam Francofurti ad Mœnum

Anno M. DC. LXVIII.

Tuæ Illuſtriſſimæ Eccellentiæ

*Devotiſſimus cultor*

Joh. Brandes.



*Præfatio ad Lectorem.*

NOn me gloria publicandi ingenii produxit in medium, sed Necessitas, quæ pars rationis est, cui parendum mihi erat, alia enim scribentis erat intentio, quam inopinata quædam, quæ obvenere, ita urgebant, ut quæ primo latissime mecum conceperam, jamque adumbraram, in compendium quasi cogerem, amplitudinemque rei constringerem.

Rationis ſtatus materiam ſuperficiarie & in Tabella tantum delinearam, poſt pertexto telo videbar nec mihi nec aliis male conſulturus, ſi in materiis quas in tranſcurſu tetigeram, & nominetenus interdum tandum allegaveram, me ad complures bonas Autores, tam veteres quam novos remitterem, qui ex profeſſo eaſdem pertractarant, ſic fore putabam, ut hoc de Ratione Status ſchema inpoſterum mihi eſſet pro perpetuo

petuo in Politicis Indice, ad quem, quoties opus foret, tuto refugere possem. Sed ex autoritate Illustrissimi cujusdam Viri, cui, quicquid calcaverit, rosa fiat, mutavi sententiam, omittendo ubi commodo fieri potuit, allegatos complures Autores. Ut autem Benevole Lector uno quasi intuitu, quid à nobis actum sit, videre possis, scias, nobilissimas materias, nondum satis tritas hic insertas esse, quas perpolire instituti

nostri erat, absolvere nec arctati temporis spatium, nec compendium permittere videbantur; habes enim non tantum *materiam Rationis Status*, quæ una quantum negotii Eruditis facessat, amice recorderis. Habes *varios veterum de vera Philosophia opiniones. Materias de Advocationibus. Educatione moribus & studio veri JCti. Humanioribus, Methodo tractandi Ethica, Politica, Historica. Nomothesia. Arte Characteristica. Interpretatione Legum. Solutione Antino-*

*mia-*

*miarum. Arte Juris. Conceptione perfecti Corporis Juris. Topica Legali. Principiis Juris publici, &c.* Quæ omnia in fronte libri indigitare nolui, ſic enim non tantum in ſtylum veterum peccaſſem, ſed & forte domus limine excidiſſet. Simplex dedi Diſſertationi nomen Philoſophiæ, auguſtum tamen & venerandum, non ex ſæculi pravo genio captandum. Depone, quiſquis es, præconceptam de vocabulo opinionem, videbis, ſcio, ſi perlegeris, non nobis

nobis ſermonem eſſe de illo Philoſophorum genere, qui in umbra & pulvere philoſophantur, quique magno labore deſipere diſcunt & in ſubtilitatibus exercentur captioſis, ipſi vero ad res gerendas nunquam accedunt. Simulati illi ſunt, quod in peculiari capite à nobis oſtenditur. Dieſe gelehrte Haaſen fallen gemeiniglich in die Schulgarn / und bleiben darinn hencken.

Menda & Errores in fine diſſertationis correctos

ctos videbis, quos præter spem, posteaqvam ex Acidulis Svallbacensibus redieram irrepresse quidem dolebam, ast emendare non poteram. Vides denique honorande Lector, in quibus occuper, quo justius ergo petam, primum ut errori, si quis est, tribuas veniam, deinde medearis scientia tua; generosi enim animi est in difficilioribus lapsis facile ignoscere, in quibus si non Eventus, intentio tamẽ laudanda est. Quod si vita suppetet, & à peregrinatione, quam intendo,

do, ex Dei Decreto ſalvus rediero, altera de vera philoſophia diſſertatio primam hanc ſequetur. Quiſquis doctiorum diverſus à nobis ſit; & nos à compluribus divortium feciſſe dicat, id ſibi perſvadeat velim, quod nec Delphinum natare doceamus, quodq; nunquam autoritas ratione nobis antiquior fuerit. Sed quid opus eſt verbis! *Permittam vela ventis, vos oram ſolventi bene precamini!*

CAP.



J. J.

# CAP. I.

*In Philosophiam prævia & προαύλιον.* In quo continetur.

*Philosophia ascendens, supra homines, supra Deos. Philosophia descendens, Philosophia decidens. Causæ casus fatalis, male morati philosophiam criminantur, philosophia non scortum sed sponsa, præambula veræ Philosophiæ delineatio. Legis primæ ff. d. 1. & 1. triplex explicatio. Non novum est, Iprudentiam Philosophiam appellari, hæ invicem non nisi quoad nomen discrepant. Comparantur Johanni Baptistæ in deserto, & baptizanti ac docenti.*



PHilosophiam â principio Reges coluere, sanctitatem & splendorem antiquitas instituit;

ſtituit; & hæc ſceptra tenentes & vitæ uecisque Arbitros non abhorruiſſe à cultu illius, enarrat attonitis, illamque perfectiſſimam fuiſſe rerumpublicarum cui perfectus præerat Philoſophus. Hic erat *Rex Regum*, & potentior quia melior. Sed hoc eminente licet loco gradum non ſiſtere, non terminum ſtatuere potuit, plus ultra extra hominum commercium ad Deos progreſſa eſt. A cœlo enim Socratem philoſophiam deportaſſe, in urbibus collocaſſe, inque domos introduxiſſe credebant, & coegiſſe de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere. Hanc Deorum progeniem qui in humano corpore hoſpitantem habebat, Deum habebat. teſtis ſit dictus ſapiens, Socratem puto, in hoc *philoſophia Deus erat*. Hinc in Deorum genus abire nulli alii fas eſſe docebant, quam ei qui philoſophatus erat. in tantum philoſophia ſurrexerat! inde reverentiam plebs, ſanctamque opinionem mundus imbibebat, proxima enim,

*Plato 5. d. rep. Horat. lib. 1. ep. 1. Senec. ep. 90.*

*Apulei. d. Deo Socrat. Senec. ep. 31. 59. 92.*

*Plato d. Anim.*

enim, imo par diis ſic erat. Sed nec hic quievit, tanto plus ſe debere philoſophiæ, quam diis dicebant, quanto majus beneficium eſſet bona vita, quàm vita. Huc aſcenderat: Hic ſupra Deos & homines conſtituta, ab humi ſtratis devoto horrore adorabatur. Sed in præcipiti ſtabat,

*Ruit alto à culmine Troja!*

Caſum enim, cum progredi non poſſet, maturabat fátalem, fatalẽ dico; ſive quod in nimis evectę ſuperſtitioni penes Autores paganos manendũ erat, ſive quod omnibus ſummis ſtare diu negatum ſit, naturaliterque quod procedere non poteſt, recedat, ſive frequentia ſtudii, æmulatio, ambitio & malitia humana, ſive Ratio ſtatus litteratorum, aut quicquid aliud vitio vortatur. Deplorandum certe eſt, quod ad atrocia & fæda deveniant nonnunquam, qui ex alterius ſtudii ordiniſque fama ſibi infamiam, famoſo timore metuunt, quodque in minimis nunc ſæculi vitio ponatur, quod ante omnem humanitatem ex-

cesserat. Eludunt scientiæ majestatem per contemtum atque jocos inculta ingenia, quarta luna natos, Jove irato in hoc sordidum literarum pistrinum detrusos ajunt, illum demum ad majora natum existimant, qui Philosophiam ut viles ineptasque quisquilias & stultitias meras refugerit. Sed audi Satyrice *Senecam epist. 14. Nunquam in tantum convalescet nequitia, nunquam sic contra virtutes conjurabitur ut non philosophiæ nomen venerabile & sacrum maneat.* Prodis ignorantiam, quisquis illi non nisi maledicis, quid cum illa ex postulas? quid ingeris mala multa? Nihil promoveris, nisi quod molestus tantum sis, atque animo iniquo morem geras. *Plato 5. d. rep. ne Momum quidem hoc studium reprehendere posse docet.* Philosophia, ***inquit Cicero orat. in L. Pison.*** virtutes continet & officii & bene vivendi disciplinam, quam qui profitetur, gravissimam mihi personam sustinere videtur. & *2. Offic. in princ. ait:* Philosophi studium qui vitupe-

vituperat, haud ſane intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet. Ego, ni fallor, Philoſophiæ profuit *ad modicæ ſortis cecidiſſe quietem.* *Idem noſter 5. Tuſcul. quæſt.* in Philoſophia occupatus, quam elegans, quam auriſluus eſt: O vitæ philoſophia dux, inquit, ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet, tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti, tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſti, tu inventrix Legum, tu Magiſtra morum, & diſciplina fuiſti, ad te confugimus, à te opem petimus, quam Oratoris copiam contrahit pro more *Seneca ep.* 16. Non eſt, inquit, Philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum, non in verbis, ſed in rebus eſt, animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per anci-

pitia fluctuantium dirigit cursum, sine hac nemo securus est. Hinc non obscure patet, & patebit, qua pietate primo de omni philosophia dicturi simus, tum de ea, quæ non Oratione aut scripto, quod propositum est pluribus, assensionem subtilitatis unice captat, aut juvenum & otiosorum aures, disputatione varia & volubili detinet, sed quæ facere docet non dicere, quæ jus suum cuique tribuit, principum secreta rimatur, rempubl. observat, eam instituendam Legibus instruit, institutam consiliis adjuvat, labantem reficit. Rem itaque suam sibi habeant vanæ speculationes, & quicquid inane ac sterile est. Sed & cum hisce omnis, *apud quem philosophia est instar scorti*, quo ad voluptatis illecebras abutitur, tanquam ancilla turpibus officiis mancipata. Nos *Sponsam* honeste in theatro proponemus, ad generationem fructuum reipubl. utilissimorum aptissimam, illam quæ pro tribunali querelas miserorum excipit, læsos injuria restituit, meren-

**philosophia non scortum sed Sponsa.**

merentes pœna, bonos præmio afficit, negotium publicum agit, cognoſcit, judicat, judicium exercet, hanc enim eſſe Philoſophiæ elegantiſſimam, licet laborioſam partem, *docet Plin. 1. epiſt. 10.* Hæc autem philoſophia cum præſupponat rerum cognitionem, expetendorum fugiendorumque deſcriptionem quod prius philoſophiam Theoreticam, poſterius practicam reſpicit, tandem ex illis naſcitur formoſiſſimus fætus, jamjam à nobis in Theatrum producendus, *demonſtrat id Cicer. 5. Tuſcul. quæſt.* Illum JCtus *l. 1. ff. d. l. & l.* notanter admodum vocat veram non ſimulatam philoſophiam. Hæc verba triplicem explicationem admittere mihi videntur, primo enim, ſi verbi affectantes nativum ſenſum retineamus, pro appetentes, tum per dictam philoſophiam intelligere poſſumus illam, quam civilem ſapientiam, (quæ nil aliud eſt, quam civilis prudentia, veteribus enim promiſcuus erat verborum uſus teſt. Cicer. 1. Offic.)

leg. 1. ff. d. l. & l. explicatio.

fic.) vocat Jctus *l.* 1. *&* 5. *d. extraordin. cognit.* de qua paulo post dicendum erit. Quod si dativo sensu accipiamus pro sequentes, alius sensus est, ut videatur Stoicus Jctus affectare hxpothetice suam philosophiam, eamque necessario supponere, quod & Cujacio & Mornacio placet. Si denique Jctum comparative non exclusive de Theoretica tanquam simulata in oppositione ad practicam philosophiam locutum dicas, habebis tertiam verborum vim, *adde Gloss. ad hanc l.* quod tamen qua mente dicatur & dici debeat, infra uberius exponetur. Utut sit, utraque priorum proposito inserviet explicatio, suoque sensu posterior non est absurda. *vid. Plin.* 1. *epist.* 10. ubi licet theoreticam non simulatam dicat, affirmat tamẽ practicã esse philosophiæ pulcherrimam partem. Adde tu quæ sequuntur: *Mihi hoc unum non persuadet.* Excluduntur autem Pseudo Philosophi, de quibus post alios vide

*Piccart.*

*Piccart. observ. histor. polit. Dec. 8. c. 1.* Nos secuturo capite de illis sapientiæ cauponibus agemus. Sed nec illud novum, non inauditum est, jurium disciplinam philosophiam appellari, nam & Laert. in proœm. memorat, Hecatæum opus quod tam Theologiam quam Jurisprudentiam Ægyptiorum est complexum, inscripsisse de Ægyptiorum philosophia. Sic Clemens Alexandrinus postquam *lib. 1. Strom. Cap. 7.* dixerat, antiquissimam Philosophiam tempore Mosis fuisse, explicat in fine ejusdem libri, quæ fuerint ejus partes, quot membra, quatuor partes fuisse ait: priorem ejus partem historicam, secundam Nomotheticam; tertiam eam quæ pertinet ad sacrificia, quartam Theologicam fuisse dicit. Hinc & Jurisprudentiæ & Philosophiæ definitio eadem erat, hæc nimirum: esse *Jurisprudentiam divinarum atque humanarum rerum notitiam*, & eadem erat philosophiæ definitio.

Non novum est Jurisprudentiam philosophiam vocari.

*adde Cicer. 2. Offic. Senec. ep. 90. Mur. var lect l. 18. v. 19. adde Ammon. in Porphyrium.* Non itaque nisi nominis sono Philosophia à Jurisprudentia & hæc ab illa differt, utraque enim amore boni æstuans sapientiæ ac prudentiæ studet, & in civilibus rebus tractandis occupatur, nostra philosophia tamen magis alios curat & rempubl. illa secum potissimum agit. Hopperus de differentia harum differens inquit: Estque res haud aliter, atque *si eundem Johannem Baptistam nunc in deserto agentem spectes,* quod *Philosophi est, nunc populum docentem, ac baptizantem,* quod *JCti sive hominis* politici. Olim omne perfectum studium, maxime id, quod rempubl. Nomothesiam, officia civilia & utile reipubl. respiciebat, sub Philosophiæ vocabulo complectebantur. adde *Platon. dial. 5. d. rep. & dial. 6. in princ.* hunc talem philosophum laurea sceptroque dignum æstimabant, inde princeps, quia omnia

omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere exiſtimatur, *l.* 19. *C. d. Teſtam.* philoſophiæ plenus perhibetur. *l. penult. C. de his quibus ut indign.* & veteres Jctos pleroſque omnes philoſophos fuiſſe conſtat ex *l.* 2. §. 47. *ff. d. O. I.* & poſtea demonſtrabitur. *Non incongrue igitur dicitur JCtus verus Philoſophus*, eſt enim veræ ſapientiæ & ſtudioſus & Antiſtes. Sed abeundum eſt à limine. Tu Juva Jesu! Et vos ignoſcite Amici, quod ſolem facibus adjuvare geſtiam.

# CAP. II.

## *De Simulata antiquorum & Sophistarum Philosophia.*

*Methodus à contrariis primo simulata omnia amolitur, damnat eos qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt, Sophistas, fæda Sophistarum ex antiquis scriptoribus encomia, sunt acutæ delirationes. Sophista olim anonymus, post aliis Circulator erat, aliis veneficus, aliis Nebulo, aliis* ein Phantast und gelährter Grillenfänger/ *omnium horarum homines non sunt veri philosophi.*

HÆc ὡς ἐν τύπῳ. Cum Minerva nunc manum quoque moveamus, ita quidem ut liceat nobis uti modo Imperatori & JCtis frequenti, qui

qui antequam quid res sit exponunt, prius quid non sit, declarare solent, §. 3. *l. d. obligat. quæ ex delict. l. 1. ff. d. his qui sunt sui vel alien. jur.* Contraria enim juxta se posita magis elucescere, eandemque illorum disciplinam esse inter paucos non constat. Ab origine sic ordiemur, si omne id quod simulatum est, adversari nobis & ad veram nostram non pertinere philosophiam docebimus, hinc simulata omnia amoliri primus noster labor erit. Nihil sic nobis commercii esse patet cum antiquorum scholis philosophorum, ex quibus, ut taceam Cynicos spurcissimos philosophos, vid. *Horn. histor. philos. l. 3. c. 18.* Indi nudi ætatem agebant, & Caucasi nives hiemalemque vim perferebant sine dolore, cumque ad flammam se applicarent sine gemitu adurebantur. Nec hæc in præsenti, quibus conspici non proficere volebant philosophi, reveremur, asperum cultum & intonsum caput, & negligentiorem bar-

 bam,

bam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequebatur, *vid. c. ult. distinct.* 84. junge facetam historiam ex *Gell. N. A. lib. 9. c. 2.* Hæc enim per quæ admirationem parare volebant ridicula & odiosa erant. Maneat itaque cum assectis in dolio Diogenes, ambiat in nova cathedra populi reverentiam.

Nec vero subdolos & fallaciæ æmulos Sophistas, die Dockmäuser / qui disputationibus nil profuturis otium terunt, hujus loci esse sinimus, vid. *Gell. N. A. l. 5. c. 10. Senec. ep. 49.* ubi *cornutos* omnes esse homines philosophatur, & ep. 48. ubi Syllaba caseum rodit, sed secundum Sophistarum mentem. Hi enim se habent ad sapientiam ut puellæ, quæ fuco illinunt faciem, ad eas quæ natura pulchræ sunt. Olim quia res ipsa non recipiebatur, nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Cavillationis tamen vocabulum à Cicerone mutuat

**Sophista olim anonymus.**

mutuat *Senec. epist. III.* & hisce vafris philosophis accommodat, ibi notanter dicit: Sophistas exsurgere in plantas, & summis ambulare digitis, eorum more qui mendacio staturam adjuvant, longioresque quam sunt, videri volunt. Detestemur itaque sophismata & alia ad exemplum hujus acutæ delirationis concinnata, talis enim JCtus ruris tumultus dicitur. **Ein guter Jurist ein böser Christ. Der allen bösen Sachen eine Farb weiß anzustreichen** / hinc Boccalini fingit, **daß sie im Parnaß alle Farb-Krämer außgekaufft.** *lex. 6. ff. d. excusat.* eos *Circulatores* vocat. Hosce Plato, licet omnia profiteantur, nihil prorsum scire convincit, ut maleficos insectatur atque veneficos, philosophos namque arbitratur qui studiosius veritatem affectantur, Sophistas, qui opinionem opinionis amore. *Nebulones* à Gell. N. A. 1. c. 2. dicuntur, qui atra verborum fuligine ob oculos audientium jacta, sanctissimæ disciplinæ nomen ementiuntur, & opponuntur

Circulatores.

Nebulones.

muntur veris & sinceris philosophis. A *canon. 4. distinct. 37.* dicuntur dialecticorum tendicula, quæ non tam vincula sunt appellanda quam phantasmata, i. e. umbræ quædam & imagines, quæ cito pereunt & solvuntur, & hi revera sunt specie sapientiæ stolidi, prout à militibus Julianus vocabatur, gelehrte Phantasten. Exulent itaque hi verborum artifices, captionumque dialecticarum laqueos strepentes. Diese Grillenfänger / qui in muscipula syllabas capiunt. quibusque multum temporis verborum cavillatio eripit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent.

Phantasten.

Grillenfänger.

Omnium horarum homines non sunt veri philosophi.

Nec vero illos ad veros admittimus philosophos, qui omnium horarum homines barba & coma nitidi, de capsula toti, facilitatem præ se solent ferre, facileque omnes perferre ac pati, cum quibuscunque sunt una, iis se dedere, eorum obsequi studiis, adversi nemini. qui quod in comicis spectaculis Gnathonum esse videmus,

mus, ad omnium nutus frontem componere, omnibus arridere, gestibus peregrinis, crurumque flexionibus ſcite uti, ſeria ſaleſque tempori accommodare, principum gratiam venari, & in communis vitæ ſcena, quamvis ut dicunt, perſonam apte agere norit. hos vulgus æſtimat, ſed aliter catuli longe olent, aliter ſues, Nos ſicut elegantiam qua ſermonem inceſſum & geſtum, vero commendamus philoſopho, ita non eſt, cur non aperte & ingenue fateamur, verum philoſophum non ex illis, ſed longe aliis officiis utile reip. ſpectantibus æſtimandum eſſe. Adulatores illos & Aſſentatores, qui harmoniam cuilibet ſuavem modulantur, cum ſe ipſos damnent, non opus eſt ut à nobis refutentur, claudendæ ſunt illis aures, nam ſemel admiſſi plus audent. Lehman Chronic. Spir. lib. 5. c. 58. inquit: **Die Raben reiſſen den Todten die Augen auß/aber ſolche Flattierer machen die vernünfftige und ſehende blind.** Adulatores,

CAP.

# CAP. III.

## De Ratione Status.

*Non spectant ad veram philosophiam Pseudo-Politici Idolum Rationis Status adorantes. olim Ration. Status sola basis erat honestas, excluso utili, probatur exemplo Græcor. & Romanor. sed refutatur. An incongrue hic tractatur d. R.* St? *ibi plura argumenta. ad eadem responsio, quomodo ad* J*Ctum spectat R. S. collatio l. 2. §. 47. d. O. I. cum loco Tacit. Aurei sæculi scriptores, deq; illis judicium. in* Jure *&* LL. *nostris nonnulla apparent R. St. vestigia. Generalis R. St. adumbratio. An Ratio St. in augmento consistit? fusse, frustra infringitur, principes hodie istas verborum velitationes non curant. &c.*

AN vero illos modernos ad hanc philosophiam spectare putamus,

mus, qui miniſtri alienæ libidinis nihil non ex ſtatu principis metientes, ſine diſcrimine huic licentiam in bona & ſubditorum & aliorum per fas & nefas involandi tribuunt? Minime gentium! Aliter n. edocti ſumus à *Magnif. Domino Tabore Cancellario Haſſo-Darmſtadino bene merito, Doctore noſtro nunquam non obſervando*, in præfation. Jurisprudent. Erotemat. Hi enim abutuntur eminente dominio, novosque acquirendi modos pro lubitu fingunt, prout facit *Lipſ. 4. polit. 14. n*, 85. &c. Hi veri juris Germanæque Juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenent, umbra & imaginibus utuntur, easque ipſas utinam ſequerentur! hi pro ſancta Juſtitia Idolum adorant, & ſine neceſſitate ad neceſſitatem properantes, vinculum illud, quod colligare imperantem & parentem debebat, ſolvunt. Olim Rationis ſtatus ſola baſis erat honeſtas, nam publicæ utilitatis ſpecies præ honeſtate contemnebatur. Ariſtides Themiſtoclis

con-

consilium, quo per incendium hostium classem delere parabat, non probabat, dicens: perutile esse consilium quod Themistocles afferret, sed minime honestum, itaque Athenienses quod honestum non esset, ne utile quidem putabant. Romanis cum Rex Pyrrhus bellum ultro intulisset, perfuga ab hoc venit in castra Fabricii, eique est pollicitus si præmium sibi proposuisset, se regem veneno necaturum, hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque ejus factum à Senatu laudatum est. Non piget Herois, Germaniæque suo ævo liberatoris Arminii exemplum, & destinata ab Adgandestrio pericula adducere, qui veneno facile è medio tolli poterat, quantus rom. Monarchiæ hostis! Sed non fraude neque occultis, sed palam & armatus populus rom. hostes ulciscebatur. *Tacit.* 2. *A. c.* 88. Ast hodie utilitatis specie in rep. sæpissime peccatur, cum tamen nunquam sit utile peccare, quia semper turpe, C. Cæsaris dictum

ctum valet, si violandum est jus, imperii gratia violandum, aliis rebus pietatem colas. Interim maneat vera & suis fundamentis innisa status Ratio. Illam hic pertractare an incongruum, an alienum videtur? An, uti vocant, de genere in genus transimus? Philosophia enim nostra hanc ignorat *Pandoram*, conterit hæc *Sodomitica poma*, externo colore oculos ad tempus pascentia, sed levi tactu in pulverem redigenda. nec *jus in manu positum* attendit, & plus valere cupit quod agitur, quam quod simulate concipitur. *tot. tit. C. plus Valer. quod agitur. C. cum inter 13. X. d. sent. & re judic. l. promittendo d. jur. dot. l. un. C. d. dedit. lib. toll.* exsecratur illos, qui prout Boccalini dicit: *vendono al mondo per muschio per Zibetto, per ambra grisa, la stessa puzzolente Assa fetida.* **Die der Welt stinckenden Teuffelsdreck für Bisem / Zibet und Ambra verkauffen.** Imo Ratione status plerumque uti solent illi demum qui se vident Legibus & ratione

An hic incongrue immiscetur materia R. Stat.

ratione vinci. illi *qui folia Deo, fructus Diabolo offerunt*. Minui jura, quotiens gliscit potestas, nec utendum imperio, ubi Legibus agi possit, inquit *Tac. 3. Annal. c. 69.* Aureo sæculo, quo teste cœlo vivebatur, sine hac beatos fuisse homines, ***adde Virgil. in Eclog.*** 4. ***Senec. ep.*** 90. ***Senec. Tragæd. in Hippolit. act.*** 2. nunc virtutum sterili sæculo venisse imperii sitim, cruentum facinus, prædam majori esse minorem, pro jure vires.

**Respondetur.** Sed quid illa moveant! Ciceronem quidem quod attinet, ille nobis initio maxime adversus videtur, sed si historiam respiciamus, vix ex illa Cicero defendet quod ait, excluso utili, solum honestate basi crevisse rem romanorum. Audiamus Dionysium Halycarn. quem de rebus rom. multo verius scripsisse constat, quia nullos in rep. Magistratus adeptus est, quam reliqui, qui in sua rep. honoribus floruerunt. *is in princ. lib. 8.* Romanorum in acquirendo honestatem ita describit: Si unusquisque populus

partem

partem ſuam ſibi per vim contra jus & fas ereptam velit repetere, nihil erit tam parvum, tam debile, tam egenum quam resp. Rom. ſic quod Carneades philoſophus romanis exprobrarat, illis ad caſas redeundum foret. imo Ciceroni Ciceronem oppono, vide elegantiſſ. *ep.13 lib.2. ad familiar.* ubi: tempori aſſentiendum &c. & tempeſtati obſequendum, & ſi recta portum tenere nequeamus, mutata id ipſum velificatione aſſequendum. vid. eundem *lib. 2. epiſt. 1. ad Attic.* ubi de Catone dicit, Catonem noſtrum non plus amas tu quam ego, ſed tamen ille optimo animo utens & ſumma fide, nocet interdum reip. Er war gar zu auffrichtig und nicht ſtatiſtiſch. dabo tertium locum *ex 1. offic.* ibi cum Labeo arbiter Nolanis & Neapolitanis de finibus agri à Senatu datus eſſet, utilitatem non honeſtatem reſpiciens partem agrorum ſolertia ſua romanis adjudicat. Etſi quid forſan exemplo unius vel alterius Herois

Cicero ex Cicerone refutatur.

Herois romani probari poteſt, id tamen non probatur, quod probandum erat, auſpicio, autoritate & ſuffragio totius reip. ſed ex arbitrio privati factum eſſe, qui vel ob eximiam animi celſitudinem heroicamque virtutem id fecere, vel haud raro gloriæ cupiditate famam apud poſteros reip. utilitati præponebant. adde *Arthur. Duck. d. autorit. jur. civ.* ab initio ſuſe demonſtrantem, quod romani honeſto interdum longe remoto utilitatem ſolummodo reſpexerint. Et prudentes laudant eos, qui honeſtis utilia miſcent. hæc enim non niſi mutua ope & indiſcreta unitate in ſui operis efficaciam convaleſcunt. Tacitus Agricolam commendat, quod fuerit peritus obſequi, & eruditus honeſtis utilia miſcere. Nec hic incongrue delicata hæc Politicorum materia inſinuatur, nam veram & ſimulatam Rationem ſtatus veri JCti eſt diſcernere, certe ſtatus nonne hodie defenditur per JCtorum prudentiam? Quid enim Jurisprudentia a-

**Materia R. Status hic non incongrue inſinuatur.**

liud

liud eſt quam politica? vid. Conring d. prudent. civil. c. 3. p. 28. egregie Malvezzi nel politico Chriſtiano, p. m. 11. *La Legge è una politica & hoggi pochi Leggiſti ſono politici, furono coloro che la fecero, ma non ſono coloro che la imparano.* quomodo rationem Legis ſine ratione ſtatus dabit? Confugienti ad hoc Aſylum principi quid reſpondebit ἀπολίτικος? nec enim ex Legibus nudis ſtatui conſulet, & ſaluti publicæ, quæ ſuprema lex eſt. quid replicabit Domino ſuo exceptionem rationis ſtatus in defectum Juſtitiæ alleganti? errantem itaque reducat Principem, oſtendendo veram in pietate & Juſtitia niti ſtatus rationem, nec velamenta flagitiis pro libidine eſſe quærenda. Inferorum ſedes non plebeia tantum ſcelera, ſed & Regum ambitionem & avaritiam expectare, ſic principem in civitate locum ſtudiis civilibus aſſequetur hoc pacis decus. Tacit. 3. An. c. 75. ibi loquitur de diverſorum JCtorum Sectarum Aſſeclis, Labeone Antiſtio &

Attejo Capitone, hujus obsequium dominantibus magis probatum fuisse ait: **Er wuste sich in die Herrn besser zu schicken und zu bücken** / ob id consulatum huic accelerabat Augustus, lampada hic Taciti locus tradit *l.* 2. §.47 *ff. d. O.* I. junge *tamen* 3. *Ann. c.*70. ibi adulationis nimiæ eum insimulat. Id, quod Poeta de aureo sæculo fabulatur, egregium quidem est, fallitque sensum calamitatis præsentis suave somnium, sed reapse fabula nobis imponit, non historiam veram proponit. Nam Poetæ & Historici antiquiora decantantes sæcula, non ita semper sunt intelligendi, quasi pro vero suas commendationes verborumque lenocinia vendere voluerint. Legentis non scribentis vitium est, historiam aliter quam cui fini scripta est, explicari. Non quidem inficias eo, complures ob ignorantiam primævæ Antiquitatis, & sacrarum literarum lapsos esse, prudentiores tamen aliter statuisse scio, illi enim antiquitatem aut agrestem, & inconditam

**Quid aurei sæculi fabulatoribus respondendum.**

tam plane describebant, prout fecit Diodor. Sic. lib.1.idque ex hypothesi & proposito, ut hac ratione vitiis societatis ob oculos hominum positis, ab inviis ad honestiora invitarent barbaros. Aut priscorum societatem describebant simplicem, puram atque compositam, prout in hanc sententiam apud Tacit 3. An. 26. locus est eximius & notus, vetustissimi inquit, mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, sine scelere, &c. Et hoc iterum consultò faciebant, ut non tantum historiæ suæ admirationem & applausum facerent, sed & stimulum & desideria appetendæ virtutis diserta descriptione insinuarent. Quicquid interim in his boni verique est, comparationem potius temporum quam descriptionem antiquitatis habere putandum est. *prout Clar. D. Baclerus*, certo loco loquitur. Nec movet quod opponunt jura nostra nihil de hac scire, nego hoc, contrarium ex Legibus ostensurus, vestigia enim Ration. Status apparent in **Vestigia R.St.apparent in Legibus.**

 *l.14.*

*l.* 14. 15. 16. *ff. de LL. eleganter l.* 1. *&* 14. *C. d. caduc. tollend.* ibi: Quod communiter omnibus prodest hoc & privatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus. Et plura sunt illi extrinsecus imbibenda, qui administrationem reipubl. ambit, sibique tuto committi gubernacula gestit. Et sunt, scio, Jcti qui hanc in Jure partim attigerunt, partim pertractarunt materiam. Sit itaque *hoc de Ratione Status Schema & Adumbratio generalis.*

**Origo R. Stat. vel vocis vel rei.**

Si ab *Origine* res petatur, â qua necessario dissertationis capiendum erit exordium, ante alia notandum est, eam esse vel *vocis*, vel ipsius *Rei*. Vocis Originem novam esse nemo non statuit, ab Italis enim, quos Galli sunt secuti, est inventa, in Latium invecta, Germanis obtrusa, qui adhuc secum deliberant, quo nomine hanc peregrinam condecorare decenter possint. Rei ipsius Originem cum republ. eandem statuimus, secuturi

cuturi *Ariſtotelem 7. polit. 13.* in princ. ubi: *duo eſſe in quibus cuiuſque rei bonitas & rectitudo conſiſtit: unum ut propoſitum atque finis actionum ſit recte conſtitutus, alterum ut actiones quæ ducunt ad finem inveniantur.* Diverſum à nobis ſtatuit. *Geisler. d. Stat. Politic. c. 4. §. 5.* is nos errare putans pro ſe adducit *Tacit. 3. Annal. c. 26.* Sed nihil ille movebit. ***Finem*** Rat. Status ponimus Salutem reipubl. hæc omnibus ante habenda, Vid. *Plutarch. in Ariſtid.* Qui Lacedæmoniis renunciari jubebat, nullum tantum auripondus ſupra ſubterque terram eſſe, quo adduci poſſint, ut ipſum ſaluti patriæ ante ferrent. **Finis.**

Pro populi ſalute Henricus IV. Galliæ Rex ſe ad inferos iturum ajebat, *Clapmar. lib. IV. d. arcan. rerumpubl. c. 2.* Conſideratur primario in conſervatione, ſecundario in incremento.

*Homonymiam* vocis conſiderare & ordo **Homonymia.**

ordo & necessitas exigit, aliis sumitur Ratio Status pro prudentia in fraudibus & dolis posita. Aliis pro arcano Status. Nonnullis pro prudentia extraordinaria rempubl. regendi. Sunt & qui eam pro utili aliquo s. Cynosura consiliorum & Actionum ad præsentem statum administrandum commoda, accipiunt. Machiavellistæ sumunt pro utili solius dominantis, sive ille justã sive iniquam habeat dominandi causam. Nec desunt qui de ipso incremento reipubl. eam interpretantur. Æquius alii Rat. Status honestam ac laudabilem & à κακοπραγμοσύνη distinctam calliditatem indigitant.

**Synonimia.** *Synonimiam* vocis quod attinet, primo notandum, quod antiquioribus scriptoribus *condecentia politica vocata* fuerit. *Floro l. 1. c. 9.* Ratio reipubl. Aliis Scopus reipubl. dicitur. A Lipsio Mixta prudentia, à Clapmario jus dominationis, Germanice dicitur die Erhaltung und interesse des Staats / sic vocatur à Joh.

Joh. Frideric. Saxon. Elector. in Apologia contra Henricum Brunsvicens. vid. *Hortleder.* **Von den Ursachen des Teutschen Kriegs** / *l. 4. c. 9. n. 173. & 174.* *A* Jctis exceptiones regiæ, jura exorbitantia dicuntur. vid. *Clapmar. l. 4. c. 2.* proposita sic nominali ad realem descendendum est *Definitionem* hæc autem pro cujusque de R. S. conceptu variat. Et est certe prout *Dn. Bæcler.* d. R. S. ingeniose tradit, Ratio Status ænigma sæculi, materia subtilitatis, cum Proteo Thetis, cum Paride Helena, cum Ulysse Penelope. Sunt minuta quædam, inquit *Senec. ep. 94.* animalia, cum mordent, non sentiuntur, adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est, tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet, ita & subtilis Rationis Status effectum, morsus & tumores facilius puto est sentire, quam ipsam, qualis sit cognoscere. Clapmarius definit. R. S. supremum jus sive privilegium bono publico introductum, contra jus commune s.

ordinarium ſed tamen à Lege divina non alienum, aſt ſic in peſſima Tyrannide, ubi nullæ leges, ſed principis abſoluta voluntas valet, non erit Ratio Status. Aliter eam definit *Hippol. à Lap. Sect. 2. in fin. Backel. d. jur. protect. clientelar. p. 3. c. 7.* definit, legitimam ac juſtam exceptionem à regula, ſed hæc definitio eſt latior definito, imò non eſt legitima, nulla enim exceptio talis. Nec poteſt converti cum definito. Dominus Feldenus in Element. jur. univerſ. part. 4. l. 3. c. 1. pro more eleganter definit. *Hypotheſin in forma aliqua reip. vel introducenda, vel conſervanda fundatam, reddentem licitum, quod fortaſſe alias & ſimpliciter loquendo tale non eſt.* Dominus Conringius rem adeò intricatam binis verbis vult exhaurire, eſſe ſc. R. St. *reip. utilitatem.* D. Bæclerus vocat R. S. eam prudentiæ politicæ partem, quæ ſecuritati, potentiæ, opibus & faſtigio principis ac principatus, dominantis & dominationis partim per bonas, ſed extraordinarias juris utili-
tatis-

tatisque, partim per malas artes, juris & utilitatis imagines, palpamenta, versutias, via utrobique fere occulta, prospicit ac consulit, Dn. Conring. non dici posse prudentiam docet. c.2. p. m. 9. de civili prudentia. Libera hic est statuendi & philosophandi Licentia, interstrepat anser Olores. Concipio Ego Rationem status ita quod nihil aliud sit quam *Secretum aliquod & extraordinarium Consilium ad servandum & augendum præsentem reip. Statum à prudentia excogitatum* cur maluerim ita definire ingenue fatebor; Aristoteles fuit qui *lib. 5. polit. c.* & aliis locis ad hanc definitionis collectionem me adduxit. Definitio.

***Dividitur*** illa quod sit vel generalis vel specialis. Generalis in genere omnem respicit rempubl. generalesque cautiones, quas alii arcana vocant, tradit. Singularis ad singulas rerumpublicarum formas properat & 1. *Rectas*, monarchiam, Aristocratiam & Politiam, cautiones circa singulas observandas *vid. ex D.* Divisio.

*Conring. d. R. S. à thes. 49. ad 52. inclusive. Geisler. d. Stat. politic. c. 3. & 5. ad 8. exclusive.* 2. *Depravatas* & attendit ad cautiones in Tyrannide Oligarchia & Democratia observandas. *add. D. Conring. d. R. S. à thes. 52. ad 59. exclusive.* 3. *Mixtas*, cum autem in mixtura unus plerumque prævaleat statuum; ab ipsius prævalentia etiam sunt mutuandæ cautiones, sin ex æquo mistæ sint, imperium tenentes sint concordes. *vid. Tac. 6. Ann. 24.* eundem *in Agric. c. 29.* sint amici, non enim cum Catone statuimus expedire reipubl. ut factiones sint inter potentes. *vid. Clapmar. lib. 2. d. arcan. rerumpubl. c. 12.* Ab objecto dividi potest Ratio Status quod sit vel *publica* vel *privata* hæc iterum multiplex est; ita peculiaris & ab aliis discreta est *Ratio Satus Eruditorum*, alia Nobilium, alia mercatorum &c. Publica Ratio Status publicum, privata privatorum utile ejusque augmentum respicit. hæc autem Ratio Status ex hypothesi in collatione ad illam

illam est suffocanda, nam *il mio e'l tuo, che formano il particulare, corrompono il publico, se il particulare non si trasforma nel publico inquit* Malvezzi. *A Forma* dicimus aliam Rat. Status esse Rectam aliam corruptam.

*Causa efficiens remota* est Deus, hic Stator & Autor Status. *proverb. 8. vers. 15.* Propinqua est Magistratus. Proxima, prudentia & quidem Politica s. Architectonica. *adde Horn. d. civitat. proœm. c. 4. p. 32.*

***Subjectum inhæsionis*** sive patiens est resp. formaliter considerata. ***Subjectum agens*** est Statista, qui sit callidus temporum, prudens, non tantum aliorum eventis doctus.

***Objectum*** est vel Rationis Status generalioris, vel specialis, sed de illa nunc sermo nobis tantum est, quam dicimus versari *vel circa Personas, vel circa Res, vel Actiones.* Persosonæ sunt, vel in republ. vel extra eam, in Republ. sunt vel imperantes vel parentes, in imperantibus consi-

 deranda

deranda venit. 1. Pietas 2. Authoritas, illa non sit obtentui sumta *Tac. 1. An. 10.* non ficta pro Ratione Status, ut vult *Machiavell. in princ. c. 21. vid. ibid. Dn. Conring. Animadvers. adde Aristot. 5. polit. c. 11. Savedram idea princ. Symbol. 25. 26. 27.* non ut regnandi instrumentum. *Forstner. ad 2. An. c. 13.* Autoritas imperanti sancte custodienda. Quomodo id fiat. *vid. Forstner. ad 2. An. c. 2. Lips. Polit. l. 4. c. 9. Chokier. Thesaur. polit. l. 2. c. 9. Machiavelli princip. c. 21. Savedra Symbol. polit. 31.* ***Quoad personas parentes*** sciendum est esse eas vel ***alienigenas*** vel ***indigenas***. Quoad illas notandum, quod peregrinorum habenda sit ratio. Dum nullum fastiditur genus in quo videret virtus, crevit Rom. Imperium *inquit Liv. lib. 4. dec. 1.* Hisce facile Jus Civitatis & indigenatus concedatur. *Tros Rutulusve fuat nullo discrimine hal eto*, hoc observat bene Signoria Veneta. Adde *Danæi Ax. polit. Aphor. 16. p. m. 11.*

*Bacon.*

*Bacon. d. verulan. sermon. fidel. 29.* An vero ex Ratione Status peregrini semel admissi possunt expelli? Negat id *Grot. d. I. P. B. l. 2. c. 2. p. 19.* Nos affirmamus cum D. Bæclero ibid. Indigenæ personæ sunt vel sacræ vel profanæ, & hæ vel majoris vel minoris dignitatis. Per sacras personas etiam statui ejusque rationi inservitur, si per eas subditi ad observantiam, onera nova non moleste ferenda hortentur, hoc persuasionibus piis non difficile illis erit expeditu; istud Date Cæsari quæ sunt Cæsaris sedulo est imprimendum. Immorigeri orco terrendi, quod ex Christiana religione facile est, quippe quæ nec impiis magistratibus resisti vult. Quoad profanas majorisque primo dignitatis homines respiciendi sunt: Consiliarii. Ministrissimi, Mignons. Quos mignons Galli, Germani Schoß-Kinder vocant, illi ob *Rat. Stat.* non sunt ferendi, ne dum socium curarum quærit princeps, inveniat dominum, est enim unum idque certissi-

mum arcanum ad reip. salutem, principis ipsius peritia & prudentia. Hispaniæ Grandes, quod Dux de Lerma Philippum tertium solus regeret, scribebant ad Regem ita: *Regi Philippo tertio hoc tempore Lermæo Duci à servitiis.* rationem status ministrissimos docet, & regulas tradit, quibus attentis extra periculum sunt. *Forstner. ad lib. 4. An. c. 1. Savedr. Symbol. 49.* qui tamen illos vult admitti, sed distinguendum videtur inter admissionem ad familiaritatem & Consilia. adde *Grammondum p. 9 l. 1.* Quoad minoris dignitatis homines considerandi ministri, subditi, eorumque affectiones quoad R. status contemplandæ. his imprimatur bona opinio. *add. Aristot. 3. Polit. 3.* principem esse *pro Deum* in rep. illis non permittatur examen rationis status, quippe quibus obsequii gloria relicta est.

*Extra Regnum* considerandæ personæ sunt vel junctæ sanguine, vel fœderibus & pactis. Nil moretur sanguis. Cognatio omnis postponitur

Ra-

Rationi ſtatus. vid. *Savedr. Symbol.* *47.* quoad fœdera & pacta, conſideranda eſt natura ſociorum & confœderatorum, in quibus aſſumendis magna Ratio ſtatus Romanis erat, quam *Cic. vulgat. 3. d. rep. & 2. offic.* populum rom. ait ſociis defendendis terrarum omnium potitum fuiſſe. Facillimi certe erant Romani in aſſumendis ſociis, ut, ſi alio non poſſent, colore defenſionis ſociorum, iniquitatem Martis & armorum tegerent, & excuſarent. De fœderibus notat Ratio ſtatus, quomodo illa pangenda? Cautiſſimis Legibus. vid. *Boxhorn. Disquiſition. politic. c. 34.* An cum infidelibus? eſt qui id ſatis verboſus negat contra Galliæ regem, quem in perſona Judæ loquentem adducit: **Was wolt ihr mir geben / ich will ihn euch verrathen.** Nos affirmamus. Sed an cum infidelibus contra fideles? vide Grotium *d. I. B. P. 11. 15. 8. &c.* Affirmari poſſet ob multas rationes, in neceſſitate defenſionis & exemplorum præjudicio fundatas, æquior tamen negan-

negantium videtur opinio, vel ob illud Alexandri: malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat. In hoc membro discutienda est sancta Legatorum materia. *vid. Marselaer in tr. d. Legatis. Chokier. auctar. l. 3. c. 6. Kirchner. d. Legat. Horn. d. civit. l. 2. c. 8. Duc de Roan in Ration. Status Hispaniæ ibid.* ***Inquisitores Legati.*** *Grotius lib. 2. d. I. B. P. c. 18.* addatur *Carolus Pascalius, Albericus Gentilis, uterque de Legato, & hæc de* ***primo*** *Rat. Status objecto, personis scilicet.*

Dixi autem versari Rat. Status, non tantum circa personas, sed & Res. Res autem sunt vel sacræ, vel civiles. In sacris consideranda est præprimis Religio, hoc magis movet multitudinem quam arma, & hæc ficta paganis olim tanti profuit, quid vera non possit. An autem Religio ex Ratione Status mutanda? Minime nec enim de provinciæ sed animæ salute agitur, & is qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ prin-

**An Religio ex R. St. mutanda!**

principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones gignit vel sequitur, Augustino est Hæreticus. An diversæ religionis subditi in rempubl. assumendi? Assumendi bene ut cives male ut regiminis socii. Si enim in Aristocratia illi, penes quos est majestas, in religione dissideant, quos non tumultus excitat? Ast religio diversa & hæresis si semel irrepserit, an contra illam ferro & exsilio est sæviendum. Non potius doctrina quam vi sananda sunt. Hæc quidem in corpus, nunquam in animum, qui in hoc quicquid est negotii, liberrimus esse vult, grassari potest, & *Paulus 2. Tim. 2. v. 24. & 25.* servum domini non vult pugnare, sed mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum. Sua certe ubiq; religio videtur optima, ut quæ plurumque non ratione sed affectu dijudicetur. Affectus autem ille vi nunquam extrahetur. Severius tamen aliquid dixerim adversus eos, qui notitias illas naturales de Religione innatas, violant & evertunt, hos non argumen-

gumentis sed pœna edomandos esse, utile reip.& R. st. suadent. Sunt enim seditiosi, & eversores rerumpublicar. *adde Grotium d. I. B.P.l.2.c.20.* An autem Christiana Religio in genere considerata est è ratione status reip? Negabunt ex hoc & aliis Machiavelli discipuli: Religionem Christianam in amore & facilitate totam occupatam fortitudinis igniculos, militares virtutes suffocare. Sed impiam hanc esse opinionem, nulli cui cor sapit, est obscurum. *vid. Conring. d. majest.civ. autor. circ. sacra thes. 91.* De sacris, an & quando sint alienanda, vid. *Horn. d. civit. l.2. c.3.n.7.Savedra Symbol.25.* Decisionis loco esse potest pacificatio Osnabrugensis, quæ docet alienationem bonorum Ecclesiasticorum per Rationem status esse licitam. Ad sacra spectat cura scholarum, has interdicere est Rationis status Tyrannicæ. *An vero è R. st. Germaniæ est tot esse Academias?* Alii, volente Deo loco hanc quæstionem reservavimus. Certe non quemlibet è plebe, nulla inge-

ingenii bonitate præditum ad ſtudia admittere R. ſtatus eſſet, nunc in tanta nominetenus ſtudentium turba, vileſcunt ſtudia & litterati. Hæc de ſacris.

*Ad Res civiles* ſpectant 1. *Leges* earumque latio. hac una re ſummum reip. imperium quodammodo eſt comprehenſum, ſc. univerſis civibus legem dare, accipere nunquam. hoc eſt vinculum reip. quod tamen é Ratione ſt. ſolvi & rumpi poteſt. interdum enim contra Leges aliquid juſte fit, docet hoc apud Cornel. Nepot. Epaminondas, is cum reip. pernicioſum videret fore, ſi tempore Legibus præfinito ab exercitu diſcederet, noluit Legem conſervandæ reipubl. cauſa datam ad perniciem civitatis conferre. Res civiles.

2. *Tributa*, hæc modica, quantumque ſufficit, ſunto. imprimatur ſubditis, *reipubl. quemcunque ad uſus publicos magis obligari, quam Creditori.* Malæ tamen & corruptæ Ratio Status eſt, tributis exhaurire, & ad inci- Tributa.

tas redigere ſubditos, egeſtas quidem demittit animos, ſed ad deſperationem & ſeditionem facile impellit.

Ærarium. huc ſpectat cura *Ærarii*, quæ quidem in rep. Germaniæ proh dolor! haud multum negotii faceſſit. Huc referenda *cuſtodia Regionis*, *Neceſſitas fortalitiorum*, Importanda & exportanda. illa exportandorum vectigalibus ſunt oneranda, quæ aliunde peti non poſſunt. vid. Boxhorn. disquiſit. polit. caſ. 28. *Mercatura.* Savedra Symbol. 68. Sprenger. R. ſt. 20. Lebleu inſtruction. futur. Conſiliar. Diſput. 5. c. 23. damnentur monopolia reip. perniciosa. *Jus Nundinarum*; Savedra Symbol. 68. *Vectigalia*: & hæc in rep. Germaniæ jam principi ablata ſunt. Suadet Julius Pflug in eleganti libello de rep. Germaniæ & rationem ſtatus reparandi poſtulare ait, ut hæc cedantur ab optimatibus Imperatori. Eadem vult R. ſtat. ut vectigalibus onerentur res, quæ luxum inſtruunt divitum. ſic divites onerantur, & pauperes ſublevantur. vid. Savedram Sym-

Symbol. 67. non suadet vectigalia minimis, necessariis, quotidianis imponi, ex quo sæpe seditio orta est, *adde Danæum in Aphorism. polit. p. m. 291.* hodie non incongrue capillamentis **den Perruquen** imponi possent vectigalia. *Corruptis etiam moribus vectigalia* imponi non iniquum esset, sic bene introduceretur forsan in patria nostra ad modum Belgii uniti **de impost von ongefondeerde** processen, uti vocant. Huc spectant *Bellum & Pax. vid. Aristot. 1. Rhetor. 4. n. 14. &c. Savedram Symbol. polit. 4. 74. 75. 76. Pœna vid. Grotium d. B. P. l. 2. c. 20.*

*Hæc de Rebus.*

*Actiones* considerantur vel in se, vel adversus subditos. Quatenus in se considerantur, spectant ad eas mores qui vel extra, vel in principe, quoad illos notat Rat. Status mores majorum sancte custodiendos esse, magnum in illis momentum ad arcana spectans docet *Tacit. 2. An. c. 59. 2. An. c. 56. & 2. A. 10. ibique Forstner.* **Actiones.**

Quoad

Quoad mores in principe notum est, quod illi sint vel interni vel externi. Hic notatur quod luxus principi vitandus nimius in corporis necessariis, *add. Tacit. 3. An. cap. 55.* Non æmuletur peregrinorum vestitum, sed habeat illum genio nationis, patriæque gravitati convenientem, nec ferat in civibus intemperantem vestitus & morum æmulationem. Quoad Actiones adversus subditos commendatur principi Clementia. Firmus sit adversus pecuniam. *Tac. 3. A. c. 18.* parcus in tribuendo honore, *3. A. c. 40.* uno verbo sit virtuosus, nam virtus docet id quod ex se & sua natura ad statum conservandum semper facit.

Vestimentorum luxus.

Sic absoluto Rationis Status objecto, ***Forma*** ejus consideranda est, quæ vel est Externa, vel Interna. Quoad Externam austerior apparet, hinc, quia plebem externa movent, ab illa damnatur. Interna consistit 1. in ***Religione***, hic nota, quam absurde Legatus quidam Ibericus, in

Forma Rat. St.

Impium Legati cujusdam dictum.

machia-

Machiavelli schola edoctus, Consuli Helvetio casu quodam politico scripturam alleganti, respondit: ea *nunc esse tempora, quibus Rationem Status non ad Biblia, sed Biblia ad Rationem Status accommodari oporteat*. *Zahn d. mendaciis l. 1. c. 14. p. 47.* 2. *Fide*, quæ hosti & infideli data servanda. 3. *Pudore & honestate naturali*, quæ non tantum ad legem bonum requirit, sed in omni officio talem. 4. *Justitia*, cum qua non pugnat, si privatus ob bonum publicum bonis exuatur, notanter demonstrat, *Horn. d. civit. l. 2. cap. 4. junge ejusdem l. 2. c. 4. §. 18.* ibi singularia, *adde Boxhorn. disquisit. polit. cas. 31.* *Forma practica* apparet ex mediis seu arcanis Imperii, auß den Regierungs-Vortheilen und Griffen.

*Affine* Rationis status est dolus bonus, qui fundatur in jure. *l. 1. §. 3. ff. d. dol. mal.* is consistit vel in actu negativo, hinc dissimulatio, vel in actu positivo unde simulatio originem trahit, Dolus.

hit, si sc. in rebus, si in sermone consistat, Mendacium dicitur. Apud severas Laconas major victima ab eo immolabatur, qui dolo, quam qui aperto Marte rem confecisset. *Simulatio itaq; & dissimulatio cum Hornejo d. prudent. legislator. num. 4.* & aliis, non simpliciter sunt damnandæ. *vid. Grotium d. I. B. P. l. 3. c. 1. n. 7. Lips. 4. polit. 14. Cardan. arcan. polit. c. 52. 53. Savedra Symbolo 43. p. 328. &c. Conring. d. prud. civ. c. 2. p. 19. 20. Bacon. de verulam. sermon. fid. 6.* quas & plerique Theologorum admittunt. *vide Meisner. in philosophia sobria part. 1. s. 2. quæst. 6.* nec enim usus, sed libido utentis in culpa est. *can. 1. distinct. 41.* Animus hic, causa, persona, locus, tempus, qualitas &c. bene observentur, uti vult *l. egregia 16. ff. d. pœn. junge l. 19. d. reb. credit.* Sint sine malitia & vitio, nam simulatio Tiberii bene culpatur, ad quam toties revolvebatur, ut vero quoque & honesto demum fidem demeret. *Tac. 4. An. 9.* Eadem cur non notatur in Davide, Abrahamo? quia non in se & sua natura

Simulatio, dissimulatio.

natura eſt damnanda. egregie Malvezzi nel Davide perſeguitato. *Chi naſce nella gran ſcena del mondo, dourebbe ſaperſi veſtire di molti habiti, per potere in queſta comedia rappreſentare diverſi perſonaggi, l'huomo perſeguitato dee à guiſa di Conca gettare la perla, per non doventare preda de' Cacciatori.* vid. *Forſtner. ad 3. Annal. c. 26.* Eleganter *Clapmar. lib. 1. arcanor. rerumpubl. c. 7.* inquit: quicunque hanc ſcenam agere decenter volet, à duobus cavere debet, à ſimulatione turpi, deinde ab aperta, doli enim non ſunt doli niſi aſtu colas. *De Mendacio* nota quod illud non ſemper ſit turpe. *vid. Grotium d. I. B. P. l. 3. c. 1. adde Gell. N. Att. l. 11. c. 1.* ibi diſtinguit inter mendacium dicere & mentiri, eleganter egit Dominus *Praſch d. mendacio. vid. p. 36. &c. vid. Conring. d. prudent. civ. c. 2. p. 21.* qui ex ſacris probat, ne Deum odiſſe mendacium omne, niſi cum injuria conjunctum. Quodcunque tamen mendacium promiſſionem veſtit, non eſt ferendum *Plato lib. 3. de rep.*

Mendacium.

C non

non multo post princ. ait: Principibus itaque civitatis, si quibus aliis mentiri convenit, aut hostium aut civium gratia, ob reipubl. utilitatem, adde Zahn qui scripsit tres libros d. mendaciis.

Hæc quoad veram Rationem Status dixisse sufficiant.

*Corruptam R. St. Idolum illud* ex juris & utilitatis larvis conflatum delineare nunc institutum non patitur, & nostra, ni fallor, vera philosophia, jam aliquoties, manum de tabula! clamavit, videatur **Reinking in der biblischen Policey** / qui originem ejus eleganter & pie deducit, & hanc omnibus Decalogi præceptis adversantem delineat, *lib. 2. Axiomat. 37.* usque *ad 40.* ibi sat multa, adde *Forstn. ad 3. Annal. c. 26.* elegantissimè. adde *Savedram Symbol. polit. 67. Thom. Campanell. polit. c. 4. §. 6. & seqq. Trajan. Boccalin. centur. 2. Relation. 36. Philander à Sittvvald in vision. Satyr. part. 3. vision. 1. videatur Battista Guarini nel pastor fido A. 5. sc. 1. Comminæa.*

*cia.* Gent e ſol d'apparenza: in cui ſe miri viſo di carità, mente d'invidia, &c.

Antequam valedicamus Rationi Status, videbimus *an illa in augmento conſiſtat?* quod ſupra tribus tetigimus verbis. Alii affirmant, plures negant, Negantes, certa nunc cuique eſſe dominia, certos eorum limites aſſerunt, illos non niſi cum detrimento tertii poſſeſſoris extendi. Scipionem adducunt, qui cum cenſor eſſet, noluit in carmine, ſicuti moris erat, poni: Dii augete, ſed dii conſervate remp. ſatis addens habemus auctam, dummodo conſervetur. *Juſtin.lib. 25.* Sed Savedra Symbolo 20. dicit: Regnare nihil aliud eſſe quam tria perpetua ſuſpiria: Conſervandi augendi & amittendi. Mihi hæc facti quæſtio videtur, & ſolvenda primo eſt & quæſtio & vocabulum ab homonymia, intereſt enim quo quiſque ſenſu & rationem ſtatus & quæſtionem accipiat. Sunt, qui Rationem Status nihil aliud eſſe dicunt, quam augmentum, & ut

**An Ratio Status in augmento conſiſtit?**

 bar-

barbara voce vocatur, intereſſe, & hi quæſtionem noſtram Domitianam, nodumque nos in ſcripo quærere dicent. 2. diſtinguendum eſt inter rempubl. rectam & corruptam. 3. inter augmentum cum & ſine cauſa, nec enim illorum Advocatus jam ſum, qui prout Octavianus Fregos Genuæ Dux ſe Leoni Pontifici excuſabat: **Fürſten und Herꝛen wäre nicht zur Ungebühr zu deuten / wann Sie umb Erweiterung ihrer Herꝛſchafft von dem was Sie verſprochen einen Abſprung nehmen** / *ex Gvicciard. l. 12. memorat. Lehman Chronic. Spir. l. 5. c.60.* Quibuſque hoſtis eſt, quicunque terris potens, quorum libidini paret ſtricti enſis ira, innocentibus exitialis. Qui cum Gallis, hos enim inſimulat ſignor d. Ferrier nel catholico di ſtato. p. m. 49. dicunt: *Non ſi deve già per amor de Jeſu Chriſto ſprezzare l'accreſcimento del ſuo ſtato. Chi Jeſu Chriſto hà la cura dell' anima, & li Rè delli corpi.* Diabolica hæc eſt politica hoc docens: Incrementum ſta-

Diabolica politica.

tus

tus amori Christi esse antehabendum, nec enim Christum nisi animas, *R*egem corpora curare. 4. distinguendum in quæstione est inter magnas & modicas respp. inter Reges & Regulos, hisce quies tutior est, nec de obtinendo, sed tenendo laborare. Regibus sua tantum retinere non regia laus est. *Tacit.15. An.c.1.* & revera hoc dictum inter flagitia Dominationis referri scio *à Clar. D. Becler. in Dissertat. Lips. c. 5. Danao Aphorism. polit. p. 486. Ax. 2.* nobis tamen non obstat, illi enim ex alia hypothesi disputant. Et Imperatores nostri Augusti, non Augusti dici malunt, & ad augendum Imperium vi Capitulationis tenentur. *adde Carpzov. d. Leg. Regia c. 7. sect. 5. vid. Recess. Imper. d. Anno 1566. §.* **Nach obgesetzten.** *& d. A. 1576.* **Wir haben auch ein ferners.** *nec obstat Tacit. 1. An. 11. & 4. A. 32.* ibi eleganter *Forstner. add. D. Becler. ad 1. An. 11.* novissimus *Arndius Trutinam stat. Europ.* in princ. ad verba: in amplificatione. ibi totum Catalogum Autorum habebis. Unica magnitudinis Rom. causa fuit, armo-

rum studium & omnia reip. instituta non ad civilis vitæ tranquillitatem, sed gloriam & imperii amplificationem introducta fuisse. *Forstner. ad 4. An. c.4.* verba: plerumque inopes ac vagi. Huc spectat votum rom. Ducum, in provincias exeuntium, ut suo ductu incrementa resp. capiat. *Cic. fin. lib.2. Offic.* dicit, præterea quibuscunque rebus vel belli vel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, vectigalibus, hæc magnorum hominum sunt. Hodie principes verborum velitationes scholis committunt, ipsi quæstionem affirmative gladio nunquam non decidunt. Laudant consilia eorum, qui cum Themistocle in convivio rogantibus, ut cytharam pulsaret, respondent, fidibus se nescire, cæterum posse oppidum parvum in magnam civitatem evertere. Sic laudant eos, qui non verborum artifices, fidibus auribus tantum suaviter canentibus inserviunt, sed qui reapse remp. non tantum conservant, sed & feliciter augent. nam licet privati ad staturam corporis sui ne cubitum addere possint, etiam sollicite id agentes,

**Principes quæstionem gladio solvunt.**

tes, tamen princeps corpus reip. augere poteſt, & tenetur. *R*egulos & reſpublicas autem dulcis ſaturet quies, nam rotat omne fatum.

**Regulorum Rat. Status an fert augmentum.**

*La Republique qui eſt petite ne peut occuper eſtat plus fort & plus gros que ſoi. Autrement lui en prend comme à un arbre, lequel a les branches plus groſſes que le trone, dont portant le fardeau, le premier vent qui vient tant petit qu'il ſoit, le met bas. Francois de belleforeſt dans ſa regle d'eſtat 420.* Hinc bene hodiernarum potiſſimæ rerumpublicarum, quales ſunt Veneta, Helvetica, Belgica, pro ratione ſtatus ſervant quærere parta tueri. eadem ratio ſuadet, ne bella offenſiva gerant, invadentibus autem maſcule reſiſtant. *R*eputate tamen

*Vos quibus Rector maris atque terræ*
*Ius dedit magnum necis atque vitæ*
*Iniqua nunquam regna perpetuo manent!*

# CAP. IV.

## De Homonymia Phrasis.

*De variis veterum philosophandi modis. Atheniensium numeris. Ænigmatibus. Hieroglyphicis. Carminibus. Dialogis. Cabala &c. d. reliquis philosophiæ simulatæ speciebus. De Rabulis. De pragmaticorum patrociniis & Advocationibus. Advocatorum Advocatus. ICtus respondens. frustra ab Advocationibus vera philosophia expectatur.* Zanck-süchtige Advocaten. *Advocatus ICti Minister. Disputationis conclusum moderatum. Advocatus aptissimum lignum Apollini formando. Antiquæ declamationes. An vera philosophia est Empirica. ibi Hortlederi de vera philosophia opinio. An practica, Theoretica vero simulata? &c.*

Veram

VEram philoſophiam & olim Athenienſes profitebantur *Numeris*, abſcondito ſane, paucisque penetrabili modo, hac Plato, hac Pythagoras clari erant, & hanc veram & antiquam non palliatam Philoſophiam dicebant. *Rhodigin. l. 29. Antiqu. lect. c. 7.* adde Joan. Scheffer. d. natur. & conſtitution. philoſophiæ Italic. c. 5. Alius *Ænigmate*, ut Heraclitiei, qui in Epheſo Joniaque philoſophabantur, *Emblemate* alius, alius *fabula*, alius *comœdia* philoſophabantur. Ægyptius *hieroglyphicis* veram ſibi vindicabat Philoſophiam. vid. Horn. hiſtor. philoſoph. l. 7. c. 6. fuſius Athanaſ. Kircherum in admirando Oedipo Ægyptiaco. Græci *carminibus* ſapientiæ præcepta tradebant, & Galli aliæque Nationes verſibus philoſophabantur. *Cæſar. lib. 6. Ariſtot. 8. polit. 7.* imo Germanis unum memoriæ & Annalium genus fuiſſe carmina antiqua, docet *Tacit. d. morib. Germanor.* præcipue autem Druidibus, quod genus Sacerdotum Celtis, adeoq; Gal-

**Athenienſium numeri.**

**Ænigmata.**

**Hieroglyphica.**

**Verſus.**

lis pariter & Germanis commune fuit, in more poſitum legimus, ut diſcipulos ſuos carmine ſ. verſibus comprehenſa docerent ſua myſteria, quorum vel viginti millia ediſcenda fuiſſe Autor eſt Cæſar, adeoque nonnullos per viginti annos in diſciplina manſiſſe. Alii in & cum Eloquentia philoſophabantur, hinc *Cic. lib. 3. d. Orat. dicit*, ſe non impedire quin ſuo illi docto & erudito Oratori philoſophi nomen impertiat. Platonici in *Dialogis* philoſophabantur. Ariſtoteles matutino tempore ἀκροατικά, ſive ſubtiliorem philoſophiam, veſpertino ἐξωτερικά ſive Rhetoricas meditationes argutiarum rerumque civilium notitiam propoſuiſſe legitur apud *Gellium N. A. l. 20. c. 5.* ſtoicos maximopere dialecticis ætatem triviſſe probatur ex *Laert. lib. 7.* Academicos maxime dubitaſſe, aliorumque rationibus refutandis philoſophatos fuiſſe tradit *idem l. 7. c. 1.* Horum autem nemo non arbitrabatur, ſe veram philoſophiam tenere, & optime philoſo-

phari,

phari, cum tamen plerique magis circa corticem, externa puto & modum philosophandi, quam ipsam rem occuparentur. Hebræo *Cabala* erat vera philosophia, quam sanctum Numen ipsum Moysi hunc populi primoribus oretenus communicasse, multaque de futuro mundi servatore, deque fatali reipubl. illius periodo proposuisse enarrat. *Rhodigin. lect. antiqv. lib. 10. c. 1. Speidel. Notabil. Juridic. Histor. Polit. sub verbo Cabala. Glassium Philologia Sacra l. 2. p. 1. tract. 3. S. 3. art. 7. Caffarellum d. Cabala.* Cabala.

Sed hæc commenta & secunda Editio, quam Hebræi Misne Thorach. i. e. legem secundariam vocant, hodie abrogata sunt, *Novell. 146. cap. 1.*

Singulari sensu philosophiæ perfectæ dicitur posse affectus, & in specie *Amorem*, cujus furore nihil vehementius, *retinere*. *Novell. 74. c. 4.* Veram etiam philosophiam, quam artem magnam vocat, tradit *Tholosanus Syntaxi artis mirabil.* vid. com-

Amorem retinere dicitur in jure philosophiæ perfectæ.

An Tholosani Ars magna sit vera philosophia.

*commentar. in lib. 1. c. 3. p. m. 18.* ibi: ſingularum ſcientiarum veluti quoddam epitome contexuimus, ut Dei beneficio & noſtro medio, quicunque noſtras habuerit lucubrationes, nullis aliis libris, vel certe pauciſſimis egent ad ſcientiarum encyclopædiam addiſcendam. Ni fallor, in eo laborat, ut in artificio ſuo generalia præcepta tradat, ex quibus ſingularia in omnibus diſciplinis & ſcientiis diſputari poſſunt. Et hæc licet ex inſtituto Autoris optima ſint, laudandumque ſtudiorum compendium, nondum tamen eſt illa philoſophia, quam nos indagamus. Aliter & pie quidem veræ philoſophiæ vocabulo utitur *Henricus Ernſtius*, qui libro ſuo, quem inſcribit de vera philoſophia, docet illum eſſe verum philoſophum, qui labefactatam rationem erigit, erectamq; excolit, & confirmat è ſacrarum literarum fonte, non vero humanæ ſapientiæ lacunis; ſed huc iſthæc non pertinet. Omnes reliquas ſic dictas veræ philoſophiæ aut ſectas aut

**Ernſtius d. vera philoſophia.**

aut species, quas fusiores enarravimus, rejicimus, nam nostra philosophia hæc pro veris non agnoscit, tum quia pleraque illa arcana mysteria erant, & obscura, tum quia aliam angustiorem sibi subjectam materiam habet, nec ab antiquis fabulis jura nostra addisci vult. *§. 3. proœm. Inst.* Circa jura laborat, justitiam conservat, amissam restituit, miseris auxilia præbet, non lucri, sed Justitiæ amore. *vid. l. 1. §. 5. ff. d. extraord. cognit.* Valeant itaque & *Togati vulturii*, quibus est Justitia venalis & mature peritura si emptorem invenerit. Valeant **Rabulæ.** *Crumeni-Mulgæ, Iurgiorum Præceptores*, **die schAdvocaten und Federfechter/die Schrifften-Schmiede und Anhetzer.** Valeat corruptus Rabula, qui *clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus iras & verba locat.* *Drexel. in Salomon. c. 12. §. 2.* notanter: in regionibus thuriferis si male judicatum esset, grandior erat regis fenestra, cui appensa catena si attrahebatur, pandebat fenestram, & Rex par-

 tibus

tibus jus dicebat ita admonitus, sic ille applicat: Illud miserum est, si quis tenuiorum aliter causam suam agere nequeat, aut nullum illius exitum invenire possit, nisi prius catenam trahat argenteam, philippicis pugnet. adde *Boccalini*, aut quisquis Autor sit *nella secretaria di Apollo, p. m. 549.* ibi: *se il diavolo non ha nel inferno questo tormento per la pena del senso de' dannati, non hà tormenti insofferibili.* &c. **Wann der Teuffel die Pein deß beschwerlichen Processes in der Höllen nicht hat / könne er sich nicht rühmen daß er alle unerträgliche Qual beysammen habe.** Facile itaque apparet cuivis in projecta effrenataque Rabularum loquacitate veram philosophiam positam non esse, nec ulteriori demonstratione opus est.

De Advocationibus. Advocatorum Advocatus.

Quid ergo statuendum *de pragmaticorum patrociniis & Advocationibus*! Primo quidem apparet intuitu non ex minimis hoc studium, sed 1. Ratione Originis venerandum esse,

esse, nam causas apud Judices orare olim magnificum & liberale munus fuit, non sæpius in acie Pompejus quam sub judice stetit. Plutarchus in Demosthene dicit, eum gustata caussarum orandarum dulcedine famæ ac potentiæ, statuisse prodire in medium & ad reip. certamina se conferre. 2. Si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus ultro feras. *Quintilian.Dialog.d.Orator.c.5.* 3. Quid dulcius libero & ingenuo animo, quam videre plenum semper & frequentem domum concursu splendidissimorum hominum? 4. Nec illud negari potest, quod tradit *Everhard. loc. legal. præambul. p. m. 103.* quod sit gravissimum studium, quodq; quis post perlectum Juris Corpus parum admodum sit assecutus, & tum demum ignorantiam suam deprehendat, cum

ad

ad ſcribendum calamum arripuerit. adde *Bodin. in præfation. method. hiſtor.* ubi ait: qui ſine forenſi diſciplina Juris ſcientiam ſe adeptos arbitrantur, plane conſimiles ſunt iis, qui ſe ipſos in palæſtra ſemper exercuerunt, nullas tamen acies viderunt, nullos militiæ labores tulerunt. Ad forum certe venienti omnia nova videntur, tumque demum è ſchola elapſus non militem ſed tyronem ſe eſſe deprehendit, hinc ſcholam quaſi ludum & forum arenam vocat *Seneca excerpt. controverſ. l.3. 5.* Ob id egregiis etiam encomiis inclytum eſt, dirimere advocatos ambigua fata cauſarum ſuæq; defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigere, fatigata reparare, non minus providere humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent, dicit eleganter l. 14. C. d. advocat. diverſ. judic. 6. Benedictionem lucroſum effectum divitiis & facultatibus refertas Advocati domos ſequi ajunt, claudere paupertati fores. Cicero-

ceronem pro unius causæ peroratione domum quinquaginta millibus coronatorum æstimatam accepisse. Baldum ex sola substitutionum sterili alias materia 15000. Ducatorum lucratum fuisse. 7. Exerceri ingenium & judicium, dum nimirum laborat Advocatus actis & factis alium sensum affingere, ne causa cadat, nec esse artis, quod ex se justum est, defendere, sed & id quod prima fronte iniquum videbatur, per cautelas & subtilitatem ingenii tueri & salvare. Ab iis si quæras, quo se duce, quo lare tutentur, Ciceronem adducunt, qui 2. *Offic. p. m. 506.* ita scribit: *patroni est nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere.* Quis, dicunt, non laudet illam subtilem & notam explicationem ducis de Ossuna, cum enim defunctus quidam Patres Societatis Jesu ex asse heredes scripsisset ita, darent filio suo quod vellent, Patres boni eludebantur post fata Testatoris, dum verba hoc modo explicabantur: Non voluisse Testatorem ut sibi servarent

Kunstgriff der Advocaten.

varent totam hereditatem, ſed darent eam filio, huic enim deberi id quod ipſi vellent, jam autem ipſos velle totam hereditatem, darent ergo illam. &c. Dicunt illi, dum nos accuſatis, Demoſthenem, Ciceronem, ſummosque Oratores accuſatis, quos ſe habere autores arguti ſui conſilii jactitant. immortalitate donant Demoſthenis illud excerptum à *Valer. Maximo lib.3.c.7.* qui aſtutia ſua mirifice cuidam ſuccurrebat ancillæ jam crucifigendæ, illa pecuniam depoſiti nomine à duobus hoſpitibus acceperat, ea conditione ut eam ſimul utriq; redderet, alter tanquam mortuo ſocio decepta ancilla omnes nummos abſtulit, ſuccurrit miſeræ patronus Demoſthenes ita: mulier, inquit, parata eſt depoſiti ſe fide ſolvere, ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt, quia dicta hæc lex eſt ab utraque, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Sed ut ſingula accuratius perſpiciamus, ab exordio rem repetemus,

**Reſponſiones.** ſit itaque illud primo verum, ſit pia origo,

rigo, quam perinde ac usum & nos laudamus, non tamen inde probatur probandum, sc. in Advocationibus modernis consistere veram Philosophiam, hujus partem tantum attingunt, potissima autem ab illis pars negligitur, nosse scilicet num lex bene an secus lata sit, & hodie non tantum ab illa primæva nobilitatis rectitudine descivit illud studium, sed & operam sine discrimine plerumque locat clientibus venalem, suas exuvias ad certamen tradentibus. *Ad secundum* à minori ad majus ita concludimus, si illa privatis suppeditata auxilia tantum prosunt, quid dicas de Jcto vero, qui publico & omni reip. consulit, nec tantum de Titii & Mevii, sed communi omnium salute laborat. *Ad tertium*, quo splendorem externum sic conciliari ait, respondet Italus ille *Lottino nei auvedimenti civil. A.383.* accedere illum Advocato tanquam necessario malo. *Il medico & Causidico vengono ad esser honorati per necessità, non havendo bisogno di loro, se non*

**Ad 1mum** **Ad 2dum.** **Ad 3tium.**

*non per necessità*, &c. nam si inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator f. Advocatus, sicut inter sanos medicus, inquit *Quintilian. c. 4. d. orator.* ex suo studio multo felicius, licet nunquam affectet, consequitur tamen Jctus hunc splendorem, nec privatorum sed Imperatorum & Principum cultu observatur. Carolus V. lucernam præferebat Seldio Jcto, & renuenti respondebat: *En monumentum Cæsareæ servitutis, quam virtuti & immortalitati tuæ debebam.* Nil *quartum* probat, non enim Advocationi & foro proprium, sed in omni novo studio ordinarium & frequens est, eliciunt sudorem intentata studia rudioribus, magisque illa, quæ nobiliora, quæq; gravioribus fatigantur objectis, uti est vera Jurisprudentia.

Ad 4tum.

*Ad quintum* Respondeo si oratorum more encomiis hic certandum foret, cedent illa arma forensia, ille labor otio Jcti, quod & infra declarabitur.

Ad 5tum.

Ad 6tum. *Sextum* maxime infirmum est, quod

quod in divitiis caduco & inſtabili hominum bono gloriæ fundamenta exſtruit. Deterior non melior fit qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior, ingenioſe admodum *Cic. 2. Offic. p. m. 506.* vocat illam *gratificationem ex arca depromptam*, quam poſtponit operæ quæ benigne fit. Hanc Viro forti claroque digniorem dicit. Imo non omnium, ſed Ciceronis & Baldi tantum gloria eſt, plurimos Advocatos adjectivum pauper per omnes caſus & numeros ad Ablativum uſque ſequitur. Et concedam hoc, Eſt ergo injuſtiſſimum juſtitiæ mercedem quærere, & ſimulatæ philoſophiæ indicium, bovem in lingva habere, vere enim philoſophantes pecuniam contemnunt. *adde Limn. J. P. l. 1. c. 2.* Hinc Orbis fere totus execratur & ordini Advocatorum objicit, vendibilem eſſe pleriſque Juſtitiam, modo numerus appareat, pauperem cauſæ ſuæ patronum nunquam invenire, cur? Quia æget ære Cappadocum Rex. Olim Calendas

Gratificatio ex arca.

das

das Januarias carica, ſive carioſa, erat palmarum fructus, à paupere cliente patrono offerebatur, hoc erat laboris præmium, *vid. Gothofred. ad l. ult. ff. d. tritic. legat.* certe ſi in plerorumque opus Advocatorum inquiras, apparebit, quam illæ miſeris haud raro ſint detractæ, alienis lacrymis madentes, habebit hic quo glorietur, ſi aperta domo & admiſſis in res ſuas Clientibus, poterit dicere: quod quisque ſuum agnoverit, tollat, O magnum virum, optime divitem, ſi poſt hanc vocem tantundem habuerit, ſi nihil quisquam apud illum invenerit quo manus injiciat! *Septimum*

Ad 7timum.

ridiculum eſt, ſub colore virtutis latibula libidinis quærere, & prout *Lehman. Chronic. Spir. l. 5. c. 59. loquitur.* **dem Richter eine Nebelkapp überziehen/ und das rechte Recht unſichtbar machen.** imo in ſui perniciem retorquendum telum. Leges enim candido genio à Jcto conditas deflectere per innumeros anxiosque calliditatis articulos, hoccine in ſcientiæ laudem ponen-

ponendum, in iis aliquid invenire, quo eludi ſimplicitas poſſit, hoccine eſt glorioſum? Quod adductum Ciceronis locum attinet, notari debet illum adducto loco de defenſione & officio defenſoris loqui, quem dicit eloquentiam non ad bonorum peſtem, perniciemque convertere debere, non vero Regulam Univerſalem Advocatis tradit, quod & ex vocabulo *nonnunquam* apparet. Audiamus eundem Ciceronem *lib. 1. d. LL. p. m. 430.* Qui non ipſo honeſto movemur, ait, ſed utilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Sequi debebat pharum ſuum JCtum & Nomothetam Advocatus, huc, non ultro reſpiciens, haud erraret, jam, dum ſubtili, exitiali tamen aliis ſolertiæ ſtudet, quis non bonam cauſam habet! ſic nullum in judicium vocabitur flagitium, quod non Patronum inveniat, anne ſic ſubtilitas explicationis naturam facti in ſe deteſtandi mutabit, & ex mala bonam cauſam faciet? Exiſtimare decet te, inquit

*Ludo-*

*Ludovic. Vives instit. ad sapient. c. 10. §. 842.* homines habere sensum, rationem, mentem, judicium, ne speres te illis posse persuadere malefacta esse benefacta. Plato ob hanc & tales causas *lib. 10. d. rep.* causidicos beata rep. eliminandos censet, ob easdem & in Ægyptiorum rep. non admittebantur. *teste Diodor. Sic. lib. 1.* Jctus verus non tantum Patronos tales odio prosequitur, sed & ipsas lites execratur, secundum *l. 4. §. 1. ff. d. alienat. judic. mut. Cicero 2. Offic. p. m. 508.* convenire ait gravi & magno homini æquum esse & facilem, multa multis de suo jure concedentem, à litibus vero abhorrentem. Cum Hispanis docet: *Mas vale mala abenencia, que buena sententia* **besser sey ein mager Vertrag als ein fett Urtheil.** Ipse in Camera pacis residens ad disputandum proclives placide componit. Non incongrue itaque *Boccalini Relat. 41. part. 1.* statuit. **Man möge eines Amptmanns Leichtfertigkeit auß keinem Dinge ehe erkennen / dann wañ man**

JCtus à litibus abhorret.

man sehe daß er Lust zu dem Gezäncke habe / deren vernünfftige Leute vierzehen für ein Dutzet geben. Certe libertati nihil æque noxium est, quam si vitilitigatorum hæc studia nimium convalescant. & scit Jctus verus lites abbreviari publice interesse ex *l. 13. C. d. judic. l. fin. ff. pro suo.* gliscente hoc studio publicam quietem, amorem Christianum exstirpari. Bene quidem consulitur, ab hominibus autem non expectabitur illud quod in proverbii consuetudinem nunc venit: Der Personen Freund/ der Sachen Feind. Sequuntur affectus humani illa forensia prælia, periclitantesque deplorant injuriam in justa causa sibi imminentem, quæ in immortali processu artificiose occultatur. Sequuntur mores pravi, concordia membrorum in rep. tollitur, odia aperta aut occulta in animis feruntur, hinc fraudes, insidiæ & studium vincendi & supplantandi. Non enim ut Celsus verissime scripsit, bona Conscientia, sed victoria litigantis

eſt præmium. Quid quod pleriqu e Advoc. leges ut ceram habent, pro animo aut lucello ſuo huc illuc eas ducunt & flectunt. Nec fruſtra monebantur Adagio priſci, *ne allia comederent & fabas*, i. e. militia ſagata & togata abſtinerent, ne ſcilicet cum claudis habitantes claudicare diſcerent. Jctus itaque licet non ipſe obeat hæc munia, Advocatis tamen ſuis relinquit, quibus tanquam oculis, auribus, manibus & pedibus utitur, hos ruſticorum cauſæ, hos contumacium clientelæ vocent in forum. Hinc *Hopperus d. ver. Jurisprudent. lib. 4. tit. 6. dicit.* Non convenire Jcto ut majorem illam curam relinquat, & inferioribus operam det, *quoniam Apoſtoli negabant, ſe prædicationem verbi Dei deſerturos, & miniſtraturos menſis* ſed mandabant eam rem Diaconis. Neque tamen quæ dicta ſunt, aliter quam *inſtrumas & vomicas* honorati hujus ordinis dicta velim, nec ex eo quod à pluribus dehoneſtetur hoc ſtudium, id elicio, in Advocationibus

**Advocatus JCti miniſter**

nibus nullam operam esse ponendam. Erras, quicunque me ita sentire putas, hoc si facerem, non dico essem ineptus aut hebes, sed absurdus; nam Patroni s. ut vulgo loquimur, Advocati in qualibet bene constituta rep. sunt constituendi, *add. Dn. Conring. d. forma judic. in rep. recte instituend.* §. *20.* Et JCto non obesse scio fuisse Advocatum, olim inter rudimenta futuri politici actiones fori numerabantur, *Cl. Dn. Bacler d. eloquent. polit.* §. *6.* illa messis aurea excitavit plura ingenia, ***peritus enim & subactus in forensi Jurisprudentia Advocatus, Aptissimum est lignum Apollini formando***, *inquit Moreelse d. stud. jur.* abeat tamen ad altiora, & reipubl. consulat, postquam curiosus explorator in dicasteriis fuit, sin plane aversetur strepitum forensem, potest ab antiquis declamationibus repetere exercitium practicum, nam & Romanorum excellentissima ingenia hisce umbraticis foren-

**Advocatus aptissimum lignum Apollini formando.**

**Antiquæ declamationes.**

forensium actionum meditationibus exercebantur in scholis, ubi proponebant ficta themata, prout ex Senecæ controversiis & Quintiliani Declamationibus &c. videre licet, eundem modum, si placet, æmuletur noster, ad summum properans, & in secessu se hoc & aliis studiis exerceat, hunc enim modum præferebant antiqui, prout ex Dialogo vel Taciti vel Quintiliani d. Oratore & nonnullis Plinii junioris epistolis demonstrabitur. Sed ultra septa transiliimus, & præter intentionem nimis diu Advocatorum studiis inhæsimus, in viam itaque redeamus. Demonstratum ergo est in Advocationibus non consistere veram philosophiam.

**An vero philosophia est practica, exclusa philosophia Theoretica!**

*An vero dicemus veram philosophiam hic practicam esse, & Theoreticam excludere tanquam simulatam?* Sic statuere videtur Hortleder in præloquio **von den Ursachen des Teutschen Krieges**/ ibi: **Aber weil Fürstliche Personen/ &c. in der besten blüt ihres Alters den Academischen und Theorischen**

rischen Studien daß Valete geben/ mit der Bürde der Landesfürstlichen Regierung sich beladen / und dabey als die veri philosophi auß täglichen fürfallenden Regiergeschäfften vollends lernen müssen/was die simulati auß den Büchern herauß zu glauben pflegen/ rc. ubi tamen Hortlederus plus quam proposuerat, collegisse videtur. Docere volebat practicam philosophiam esse veram, sed ille concludit ita: Empiricam scientiam i. e. illam quæ experientia nuda comparatur, esse veram, huic, non recte opponit eos, qui ex libris prudentiam eruunt, nam civilium præceptorum scientia ex libris necessario est supponenda ei, qui non fundamentali doctrina politica neglecta, à posteriori ut dicitur, inchoare malit. De Empirica quid sit statuendum docet, *D. Conring. c. 7. d. prud. civ.* ubi eleganter rem ita decidit: Quemadmodum iis, qui medicinam usu addiscunt, contingit, ut experimenta faciant per mortes hominum, ita sæpe numero

Hortlederi opinio examinatur.

evenit, imo non evenire non poteſt, Empiricam illam prudentiam ſectantibus, ut ex malo eorum conſilio enata reipubl. ruina ſit pro experimento ejus, quod in poſterum eſt cavendum, cum tamen bis peccare non liceat, adde eundem *cap. 6. propolitic.* Quæſtionem etiam affirmative decidit ſubtilis alias Bachovius *1. Diſput. Treutler. Theſ. 2. lit. A.* ibi poſtquam & refutaverat & explicaverat Treutlerum, ſtatuentem per veram philoſophiam Ethicam intelligi in Theſi, quod Jurisprudentia eſt in hypotheſi, tandem ſuam proponit ſententiam, ſed non video quomodo explicatio pro Treutlero facta rem expediat, generaliter nimirum ſumto Ethicæ vocabulo, ut & Politicam ſub ſe contineat, manet tamen, quod & ſic philoſophia Theoretica ſit ſimulata, quod Ego non dixerim, nihil enim in Theoretica philoſophia ſimulati eſt, cum quælibet diſciplinarum in certo habitu, vero & certo occu-

occupetur objecto, & sapientibus olim ratio degendæ vitæ quieta placebat, in contemplatione & cognitione posita rerum, quæ quia deorum vitæ erat simillima, sapiente vita erat dignissima. *Cicer. 5. d. finib. p. m. 143.* Quid quod summa beatitudo in Theoria, contemplatione & cognitione Dei consistet, secundum communia Theologorum & *Matth. 5. v. 8.* ubi: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt, hoc non de visione corporali, sed cognitione intellectus dici apparet ex eo, quod Deus sit spiritus invisibilis, *1. Tim. 1. v. 17.* jungatur *Johan. ep. 1. cap. 3. v. 2.* imo & verus JCtus sine illa esse non potest, prout demonstrabitur, licet itaque neque in Theoretica neque in practica philosophia consistat illa de qua nunc loquimur Jctorum philosophia, sunt enim famulæ ejus, admitti tamen debet omnis philosophia tanquam *religiosa res*, prout vocatur *l. 1. §. 4. ff. d. extraordin. cognit.*

Bachovius excusatur.

Bachovium quod attinet, in honorem ejus dicimus, I. illum non decisive sed examinative loqui, apparet ex verbis: videri possit. II. Aut illi sermonem esse de Cathedrariis philosophis, prout Seneca vocat illos, qui nudis verbis atque in Cathedra, non re & facto in vita philosophantur. Aut III. De illis, qui ut Adagio dicitur, de fumo disceptant, quique Theorematibus nugalibus, & puerilium Isagogarum commentationibus exercentur, quæ sejunguntur à vero & sincero philosopho. *vid. Gell. noct. A. lib. 1. c. 2.* Aut IV. Dici posset illum per veram philosophiam non aliam quam philosophiam κατ' ἐξοχὴν intelligere, quæ Stoicis etiam erat practica philosophia, ut hac mente practicam comparative non exclusive veram diceret philosophiam, ob publicam privatamque utilitatem, hinc *Cicer. lib. 1. Acad. quæstion.* vitam activam comtemplativæ præferendam esse censet, quippe quæ non tantum scire & cognoscere objectum

ctum suum docet & actiones, sed ad divinam voluntatem conformare eas, hominemque ad futuram & cœlestem vitam invitare conatur, adde *Aristot. l. 7. polit. cap. 2.* si vis, vide *Maximi Tyrii sermon. 5. & 6.* Ubi vitam activam & contemplativam loquentes, invicemque rationibus concertantes inducit.

# CAP. V.

*Veri Philosophi connata. Bonitas indoles. superficiarie de illis, qui solius naturæ beneficio in civilibus excelluere. Acquisita. humaniora necessario sunt supponenda. ex 5. capitibus demonstratur. Exoticarum linguarum studium. Philosophiæ sit cultor. Maxime historiæ, quomodo hæc tractanda. improbantur subtilitates philosophicæ. Poetarum lectio commendatur ex autoritate Antiquorum. quomodo politica. quomodo Ethica tractanda De moribus JCti. Asinus eruditus. de ritu antiquo consulendi ICtos. An ICto liceat jocari.* Ehrentrunck eines Esels. *Ex Apophtegmatibus etiam haurienda prudentia. Opponitur differenti de polymathia. quæ alii desiderant in ICto. De Nomothesia.*

Expo-

EXposito sic simulato, verus philosophus est advocandus, qui consideratur aut secundum Connata, aut Acquisita, in Connatis præsupponimus 1. ***naturam huic studio sufficientem***, dotes ingenii practici, in inveniendo, judicando, memorando exquisiti, δεινότης ab Aristotele illa vis ingenii vocatur, *l. 6. Ethic. Nicomachior. c. 12.* à *Senec. ep. 95. egregia indoles & rapax virtutis ingenium.* à Tacito in Agricola *sublime ingenium.* ab eodem *lib. 4. Histor. 5. illustre ingenium,* quod quale sit, explicat ibidem *Clar. Dn. Bacler.* nimirum habens naturam practicam, & sensum communem, & judicium rebus agendis ingenita felicitate congruens. Minime ergo cum Georgio Horn. statuemus subtilitatem & magnam sapientiam non requiri in Politico; Dei enim providentiam & hominum stultitiam gubernare omnia.

**Ingenium veri JCti.**

An vero subtilia, ignea & acuta ingenia hic cum *Lipsio in 3. polit. c. 4. n. 10.* quem plerumque sequuntur alii,

**Subtilia ingenia.**

damnamus? Non absolute, causas nostri dissensus explanabit Dn. *Conring. cap. 13. d. civil. prud.* ad quem, ne cornicum oculos configere, verbisque abuti videamur, nos remittimus. & hæc futuri Jcti. indoles necessario supponenda est, neque enim sine ratione dubitant prudentes, utrum natura, an ars in civilibus expediendis negotiis prævaleant; demonstrari id facile posset, & exemplo Henrici Mommorancii, Connestabilis, Hadriani Turnebi, Georgii Buchanani, Marci Antonii Mureti, Cominæi, Michaelis Hospitalii &c. nisi res tam manifestam haberet evidentiam, ut abuti otio videri possem, si id fusioribus instituerem probatum ire, *adde Dn. Bacler. in not. ad vell. Paterc. l. 2. c. 95. Dn. Conring. in propolit.* 2. **Requirimus bonam integramque naturam**, nondum vitiorum consuetudine inquinatam, propensionem ad omnem virtutem. eleganter *Horat. 2. epist.*

**Bonitas connata.**

*Since-*

*Sincerum est nisi vas, quodcunq; infundis, acescit.*

Hic nobis non obloquitur Dn. *Conring. c.13. propolit.* ubi: nonnullæ resp. non possunt solis bonis artibus regi, in illarum quidem rectoribus non debet exacta virtus reperiri, satis est si rectores illi sint semiboni aut semimali; loquitur enim tantū de rectoribus corruptæ reip. nobis autem hic sermo est de qualitate connata, quam semibonam aut semimalam esse non sufficit. Quoad acquirenda desideramus, ut animi centrum & meditullium scientiarum circumferentia humaniorum ante omnia coronet; prout Emblematice de principe suo loquitur *Savedra E. 6.* ut in humanioribus præprimis instructus sit; sed ea in perniciem patriæ nunc vulgo negliguntur; in superficie plerique rerum perfunctorie, non bona fide vagantur, pro calcaribus tamen esse debebant.

An semibonus.

Humaniora.

1. *Necessitas*, ad altiora enim nemini sine istis iter est, Tu si veram so-

lidamque sapientiam adipisci cogitas, certo ordine, ac quibusdam veluti gradibus ad arcem illius paulatim ascendas, non evoles. Animum enim non fideliter præparatum imbutumque, nihil eximium solidum, subtile intrat. *Henric. Moreelse dissertat. d. manuduction. studios. jur. per Academiam ad rempubl. dicit :* Neutiquam illi mihi JCti sunt, qui vix rude triviali donati, & humaniorum disciplinarum præsidiis destituti, nil nisi cauponariam intendentes Causidicinam, privati juris scita perfunctorie degustant &c. verissime namque elogio Tulliano non scientia juris, sed ignoratio litigiosa est.

2. *Suadet veterum studendi ratio.* Proceres Romani filios suos ita erudiebant, ut initium ab Eloquentia facerent, ob id Oratoribus se clarissimis dabant, apud quos velut in re præsenti Eloquentiam addiscebant, *adde Cl. Dn. Bacler, ad 4. Histor. Tacit. cap. 5. eundē in not. ad vellei. paterc. l. 2. c. 95. 4. vid. Ciceron. 3. d. Orat. c. 15.* ubi: Antiquissi-

quissimis temporibus arctissimo inter se devincta hæc studia, eandemq; doctrinam fuisse & recte faciendi & bene dicendi Magistram.

3. *Suadet Elegantia Legum*, quarum Sacerdos & custos est, hæ enim adeo politæ sunt, ut loquentibus illis Ciceronis & Homerici senis mella profluere, & quæ decernunt complere apes floribus, & innectere videantur, hinc & proverbio ajunt: Ciceronem expulsum & latinitatem cum eo in exilium actam non nisi ex Corpore juris revocari posse. Nec est quod Barbari adducant causæ suæ patronum *Stephanum de Phedericis part. 1. d. interpret. Leg. p. m. 15.* ubi ex *c. indignum distinct. 5. indignum* videri dicit, quod *verba principum & JCtorum sub regulis Donati restringantur.* id enim non ea mente adducitur, ut approbetur omne quod à Jctis licet barbare profertur, sed ut demonstraret demonstrandum, plus valere Mentem Legis, quam verba.

Suadet

*Suadet & 4. Barbarismi foeditas*, quae procul est arcenda cum olentibus, & velut rubigine infectis verbis. Donellus cuidam obsoleta verba luxuriose proponenti respondebat: *Rere tumet, te fari scio, sed fabare nescio.* Quid videtur de illius Barbari Barbarismo, qui Philippo secundo à consiliis & Praetor Judicii Criminalis Belgici Vargas Hispanus argumentabatur: *Haeretici fraxerunt templa, Boni nihil fraxerunt, Ergo Haeretici debent omnes patibulari.* Conclusionem hanc absurdam absurdus excepit eventus, Albano Duce & Praeside, qui optime conclusum fuisse censebat, ubi si non humanitas, mors tamen semper Conclusionem ingrediebatur, & Syllogismi ex igne aqua & laqueo erant primis figuris fortiores, ut ait Benedict. Carpzov. Ast[1] concludebatur Hispanorum periodus in Belgio.

Donellus obscure loquenti obscurior respondens.

*Suadet 5. Latini sermonis dignitas*, de qua vide *Forstner. ad lib. 2. Annal.*

Dignitas latini sermonis.

*Annal. c. 10.* hinc Electorum filii ex Aurea Bulla & hanc tenentur discere. *vid. Limn. observat. ad aur. bull. obs. 19.* & Imperator jurare tenetur se regulariter in negotiis Imperii sola lingua latina vel Germanica usurum. *id. observ. 35. Olim lingua latinæ usus beneficii loco à Romanis concedebatur. vid. Liv. 40. 43.* ubi: Cumanis eo anno petentibus permissum, ut publice latine loquerentur, & præconibus latine vendendi jus esset. Quomodo autem in humanioribus procedere, quibus mediis stylum ejusque exercitium sibi acquirere debeat, hic non est commemorandi locus, alias in tabellis à me fuit expositum, & in quinque partibus absolutum. Hisce sacris Musarum initiatus pergat, nec sufficiat nostro romanorum gravissima licet facundia, ejusque lingvæ unius scientia, qua tamen æque ac patrio sermone eum non imbutum sed instructum volumus, jungendi sunt illi sermones insititii & inducti. Præterquam enim quod non major Lingvæ exoticæ.

sit

sit molestia, quam non intelligi cum interrogamus, cum interrogamur obstupere, quasi torpedo marina obtigerit, cultiora etiam multa apud Gallos latentia quoad politica vi hujus lingvæ eruet, ad prudentiam civilem, antiquitatum & historiarum studia multum conferent Hispanica & Italica lingva. *adde Dn. Lebleu, præceptorem meum honorandum Consiliar. c. 5. Filippe nel trattato del conseglio & de' conseglieri pag. 50. Carpzov. d. Leg. Reg. Germanor. cap. 10. Section 5. De Italica lingva dicit Pierre de Lancre au Livre premier des princes discours 6. p. 278. & seq. elle charme l'esprit & le corps, ne trouvant langve si efficace, ne si riche pour pipper le monde, ny mesme pour faire quelque belle description que celle la.* Hinc Henricus IV. Galliæ Rex ingeniose Italiam appellabat: *le pays des belles paroles.* Græcam lingvam variæ Constitutiones Imperatorum, & incunabula juris, tum Historiæ antiquissima monumenta commendant. *vid. Georg. Andreæ Imhof politicum*

**Græca lingva.**

*cum Græcum. Daniel Heinſ. Oration. 19. de prolapſis græcarum literarum ſtudiis, & ad ea adhortatione.* Earum tamen potiſſimum lingvarum habeat rationem, cum quibus reipubl. noſtræ frequentius commercium intercedit.

Philoſophia.

Hæc humaniora excipiat *philoſophia*, qua imbutus eſſe debet, & hoc non tantũ vult *l.1.* ubi Ulpian. præſupponit ſuã (ſtoicorum) philoſophiam, ſecundum Mornacium, ſed & ratio ſuadet, principia enim Concluſionibus priora & notiora eſſe ſolent, hinc *Cicero l.1. d.LL.* dicit: non â Prætoris Edicto, neque à XII. Tabb. ſed penitus ex intima philoſophia haurienda juris diſciplina. imo oſtendunt & materiæ ex hac explicandæ, nam ut taceam philoſophiam inſtrumentalem, quomodo de partu legitimo de letali vulnere, de Affectibus & facultatibus Animæ, niſi Phyſicus, de finibus regundis, fundo communi dividundo, errore calculi, ſumptibus computandis niſi Geometricus & Arithmeticus

eius judicare poterit? Sine Geographia, Chronologia, Genealogia nomen Jcti vix meretur, nam non tantum hospes in patria, sed & obscurus erit exteris & sibi. Et humanitas quam supposuimus, hæc sub se complectitur studia. *vid. Gabriel. Naudæum syntagmat. d. stud. liberal. p. m. 99.* stat quoque à nobis *Limnæus I. P. l. 1. c. 2. n. 4.* hisce verbis: Imo vero Jctus per omnes omnium scientiarum præceptiones discurrit, & à primis Grammattices Elementis per linguarum studia vagatur, Logicæ & Rhetoricæ campos, Physices vireta, Arithmetices & Logisticæ tabulas, Geometriæ Astronomiæ circulos, Ethices politices, historiarum porticus, Theologiæ castra, & quicquid denique nobilium disciplinarum est, peragrat. Multa quidem hic requirimus, sed multa etiam desiderant Civilia, eorumque cognitio maxime historias quæ tamen non ex actis patriæ, sed & exterorum colligi debent. Ast ordine si unquam alias, hic certe est opus, illo-

tis

tis manibus si Rem aggrederis, Labyrinthum ingrederis, ut itaque præparetur pectus ad Historiarum lectionem, legendus præ aliis est *Joh. Gerhard. Vossius de arte Historic.* post consulantur illi, qui universaliter & orbem terrarum & tempora delinearunt, inter quos Domino Bæclero teste eminet *Chronicon Carionis.* tum seligantur scripta ex quibus summa rerum gestarum addisci potest. Ad summam status pertinent *Respublicæ ab Elzeviriis editæ, & Archontologia Cosmica.* Ad summam rerum gestarum spectat Historia particularis. Res gestas Galliæ *Joh. Tilius*, Germaniæ, *Huldericus Mucius, Lehmannus in Chron. Spirens. Aventinus in annalibus, Schardius summatim descripserunt.* Sunt tamen alii, qui in legendis historiis malunt ductum animi, quam anxias leges sequi, adde *Hugon. Grotium in Consil. ad Legatum Regis Christianiss.* & *Coleri epistol. d. studio politico. Conringianis scriptis adjuncta.* Et

Methodus legendarum historiarum.

ꝑ. Et hæc per Satyram, tangere enim isthæc jam satis est, memorare fuerit extra tempus & propositum. Apparet tamen, id autem ut appareat, agebamus, quam Historia sit necessaria vero philosopho, addatur *illustris Dissertatio Casauboni Polybio* præfixa. nam pauci prudentiâ honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur, inquit prudentiæ pater *Tacitus 4. An. c.33.* adde de lectione historiar. *Hortleder. in proœmio* **von den Ursachen deß teutschen Krieges.** *Bodin. method. histor. c. 10. Lips. 1. Politic. 9.* Et hoc nemo, nisi cui Bæoticum est ingenium, negaverit. Hinc obscurum esse non potest, quam toto cœlo errent illi, qui putant sufficere JCto historiam per systemata generalia tractasse, & philosophiam adjunxisse practicam. In philosophia non nisi subtiliores minutias, quæ alias studium Philosophiæ acrius vocantur, *à Tacit. in Agricol. c.4. Justin. l.12. c.16.* improbamus, harum enim cognitio parum

**Subtilitates philosophicæ.**

parum juvat eos qui reipubl. dignitatibus, curisque civilibus destinantur.

Et non semel à Barclaio in Satyrico ridentur tales subtilium potius quam utilium consectatores, *qui non secus ac sciuri in rota circa immobilem axem gyranda occupatissimi movent plurimum, at nihil promovent.* Nec immerito, ultra enim est progrediendum, nisi in fundamentis semper malis occupari, nunquam vero exædificare, nisi in Amoribus ancillæ Agar nimium hærere cupias, & ad Dominam Saram tendere negligas, prout Philo dicit. Sed multa supervacua vulgo videntur, cum tamen non ea solum instrui suppellectile JCtum velimus, quæ necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu ejus & aurum & gemmæ, ut sumere in manus, & aspicere sæpius liceat. Hinc quod ante monendum erat, *Poetarum antiquorum lectionem ne fastidiat.* Nam & Poetarum autoritatem adductam à Jurisperitis videmus, Pœtarum lectio.

deinus, uti *de Homeri est l.1. §.1. d. E.ru. §.1. Inst. d. Leg. Aquil. de Virg. l.6. §.5. de divis. rer. vid. Vossium in lib. d. artis Poeticæ natura ac constitutione*, ubi plurima videbis exempla eorum qui hoc studio ad ardua emerserint, & pace pariter ac bello reip. utiles extiterint, adde *Besold. politic. l.2. c.1. §.3. p.m. 551.* post verba: vetus & probata Poesis, doctrina de moribus erat. Certe Poetas prima sapientiæ fundamenta tradidisse eleganter *Heinsius in Poem. lib. 3. Eleg. 4. canit:*

*Omnia Rutgersi, primum docuere Poetæ,*
*Cum rudis & simplex & nova terra fuit.*
*Principio tali sapientia venit in Orbem,*
*Quæ quia grata parum, nec speciosa Dea est,*
*Lenibus attentas numeris defluxit in aures*
*Mollius: hoc velo dissimulanda fuit.*

Et *Strabo L. 1. & Maximus Tyrius in Orat. d. laude Poetic.* multis ostendere

dere conantur ligatam orationem esse antiquiorem prosa, priusque in usu fuisse, si non in communi sermone, saltem ad res gestas memoriæ facilius mandandas, quippe quæ sic cani quoque possent. & hoc antiquis Germanis frequens erat, prout *Tacit. in German. c. 2.* memorat, imo & ab aliis barbaris veterum regum actus & bella canebantur, hinc Originem sumsere cantiones magistrales, **die Meister-Gesänge** / quod videri potest *ex Bernegger. quæstion. ad Tacit. 6.* Taceo nunc quod aspersione gemmarum talium magnam scripto conciliaturus sit autoritatem. Non vero tacebo quod *Bacon. d. verulam. sermon. fid. 48. dicit.* Poetarum lectionem ingeniosos facere, sicut Historiarum lectionem prudentes. Imò stylum civilem illis fidelius neminem inculcare, est enim quædam propria gratia inquit *Dn. Bæcler. d. Eloquent. polit. §. 85.* quæ ex Poetarum acumine, inventionibus, agilitate & elegantia in stylum civilem inferri potest. Cujus rei laudem

Meister-Gesänge

**Poeta ingenium legentis acuunt.**

**Stylum civilem docent.**

laudem non immerito in politissimi Barclaii Argenidem putes convenire. Nec tantum stylus sed Ethica & politica à Poetis disci possunt, illa potissimum ex Horatio, hæc scilicet Politica ex Virgilio, Lucano, Claudiano, &c. Jul. Scaliger ait: Ad Ethicam & Politicam quod spectat, *meliores nos doctioresque ex unius Virgilii lectione, quam ex omnium Philosophorum præceptis abituros.* *Coler. epist. d. stud. politic.* testatur de Monarchia neminem illis divinius tractasse, ne philosophos quidem. Jura denique & diversorum diversa statuta populorum & leges nemo elegantius quam Poetæ decantant suavissimeque imprimunt, jura naturalia ex Tragędis, Civilia ex Comicis prę aliis addiscuntur, addatur quoad usum lectionis Poetarum, *Cl. Dn. Bæcler in Prologom. ad Grot. d. J. B. P.* Transferam disputationis conclusum in humeros validissimi Ciceronis, cujus Viri? is *primo d. Orat. dicit* : perdiscendum est jus civile, sed quomodo? Respon-

**Ethica & Politica fideliter imprimunt.**

**Jura & constitutiones gentium decantant.**

Respondet cognoscendæ suntLeges, percipienda omnis Antiquitas, Senatoria consuetudo, disciplina reipubl. jura sociorum, fœdera, pactiones, causa imperii cognoscenda, *legendi sunt etiam Poetæ*, dignoscenda historia, omnium bonarum Artium scriptores ac Doctores & legendi & pervolutandi. Quoad Poetarum lectionem adde *Thom. Garzon.* **in der Welt-Schauplatz** *discurs. 152. Selden. d. jur. natur. gent. Ebræor. l. 1. cap. 2. adde Gabriel Naudæum Syntagmate de studio liberali p. m. 104. 105.*

Ex adducto Ciceronis oraculo non tantum probandum probatum, sed & illud videre est, quod non negligendum, percipiendam esse omnem antiquitatem, quod & toties Justinianus inculcat, *vid.* §. *1. Inst. d. Testam.* ubi nihil antiquitatis ignorari vult. *in l. ult. C. vectigal. nov. instit. non poss.* antiquitas pro lege habetur. At audio te hæc reponentem: Antiquitatum studia legibus interdici, profers *l. un. C. d. nud. jur. Quirit. l. 1.* **Antiquitatum ne sit ignarus.**

§. 9. *in fin. C. d. caduc. tollend.* Sed responsum facile ab aliis est, in decidendis causis antiquitatem nihil valere, multum tamen conducere, imo necessariam esse ad studiorum excellentiam tendenti, ne insulsus sit Graculus inter Musas. Minime vero omnium practica philosophia carere potest, quod in se planum, & ex ipsa Justitiæ definitione patet, quæ constans & perpetua voluntas dicitur, quomodo hæc explicabis, nisi habitus natura tibi sit cognita? Et verissimum est quod proverbio ajunt, *ubi desinit Ethicus ibi incipit JCtus.* Quid quod ne vocabulum Jurisprudentiæ sine politica noverit explicare. *Besold. in præcognit. polit. Politicam* & Jurisprudentiam subordinatas vocat disciplinas, & omnino dicendum esse ait, Jctum, ut est, & nomen Jcti sustinet, sine politica scientia perfectum videri non posse: ut ergo, pergit Medicus, sine Physica non nisi Empiricus est, ita Politicæ ignarus rationalis Jcti nomen tueri nequit.

**Philosophia practica.**

Quo-

Quomodo autem politica tractari debeant, *hic Rhodus est*, *hic Saltus*. Dicam quod rei caput est, si ex mente veterum loqui velimus, duo sunt quibus universa civilis prudentia continetur: Honestorum & Turpium, deinde utilium distinctio electioque. Summa præceptorum à Modernis prudentibus traditorum hæc est: Præsupponendos primo esse scriptores Systematicos, qui scientiam politicam justa & compendiosa methodo digesserunt, eosque tam veteres quam novos, in illis, si solida principia hauseris, nimis diu non hærendum, nec in meditatiunculis umbraticis, capiendos enim à doctrina igniculos prudentiæ, & ad usum actionemque civilem transferendos esse, pergendum & à generalibus ad specialia, prudentia enim civilis potissimum observatione singularium exemplorum continetur, eorumque quæ non semper regulis comprehendi generalissimis & certis possunt, quod & ipse *Aristot. in lib. 6. Ethic. cap. 1.* confirmat, ita

Politica quomodo tractanda?

quidem ut hunc, qui per singularia prudentiam colligit, illi præferat. Cum autem tractatio singularium sine methodo difficillima, imo desperata fere sit, 5. generalissimis capitibus ab *Aristotele lib. 1. Rhetor. cap. 4.* traditis illam includere solent. Referri enim debere ajunt illa singularia aut ad vectigalia & reditus publicos, aut ad pacem & bellum. Ad regionis custodiam. Ad importanda & exportanda. Ad Leges. Ad hæc capita redigi debere quæ apud Historicos pragmaticos, Græcos & Latinos, Rerumpublicarum scriptores leguntur, sive illi per decreta, sive per præcepta, sive per exempla civilem prudentiam professi sunt. Scientiam autem integram absolvi hisce membris. 1. Definitiones ut in omni doctrina debere esse cognitas, & præmittendas. 2. Nec omittendum esse ut quæ Experientia innotescunt in civilibus rebus, ea omnia seorsim colligantur. 3. ex his ut & ex aliis historiis, propositiones universales deduci, & in unum

unum locum colligi, quæ autem jam ab aliis collectæ sunt, summa cura excerpi debere. Ex quibus autem scriptoribus illa civilis prudentia hauriri possit, à prudentioribus passim traditum est, *vid. Conring. propolit. cap. 15. eundem de prudent. civ. cap. 14. adde Gabrielis Naudæi Bibliographiam politic. Coleri epist. d. studio polit. &c.*

Moralem philosophiam quod attinet, illam ex puerili generalique virtutum enaarratione minime æstimet, sed ad specialiora progrediatur, varios & dubios casus officiorum civilium examinet, trutinet, æquumque naturale eliciat, & applicet. pergat ab Ethica præceptiva, ubi Ciceronis officia & Tusculanæ quæstiones non negligenda sunt, ad paradigmaticam, s. exemplarem, Characteristicam, quæ in genere homines virtutibus ac vitiis præditos dictis ac factis suis quotidianis velut signis ac notis quibusdam describit. Historicam, Fabularem, Hieroglyphicam, Emblematicam, sic enim jubent prudentiores.

Quomodo in Ethicis procedendum.

*Sed & ex Ethicis mores potissimum componere, & se cuivis admirationi exponere discat*, nam summa & perfecta gloria constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat, quomodo autem in universorum animos tanquam influere possit; docet fusior *Cic. 2. Offic.* quem vide. Mores ante omnia majores commendabant. *vid. Plin. 3. ep. 3. Cornel. Nepos in Attic. c. 19. junge l. 7. C. d. Professor. & Med. l. 1. C. d. professor. qui in urbe Constant.* hinc merito præferuntur scientiæ. *cap. 12. distinct. 38.* imo nobilitati. *l. 46. §. 1. d. V. S. Gail. lib. 2. pr. obs. c. 95. in fin.* & ob pravitatem morum removeri Assessores ab officio testatur *Ordinatio Cam. lib. 1. tit. 5.* Nonne damnanda est illius cum omni suo studio Doctoris memoria, qui à principe ad prandium vocatus circumstantibus undiq; Aulicis, cultrum in crepida, quam sputo prius madefecerat, acuit, principique incre-

**Moratus JCtus.**

**Asinus eruditus.**

increpanti respondit, legum se non morum Doctorem esse. *Dominus Lebleu futur. consiliar. c.3. §.7.* siccine professioni suæ moribus respondit Asinus hic eruditus?

Mores autem sunt vel interni vel externi, moribus externis fit mansuetus & facilis, sic excluduntur *μισάνθρωποι* & *σκύθρωποι*; morosi & agrestes, **die Sauersenffe / welche mit ihren Geberden den Leuten den Todt treuen.** difficile enim dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. *Cic. 2. d. Offic.* moratus ita Autoritatem facile tuebitur, maxime si status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant decorum, uti vult *Cic. 1. Offic. p.m. 487.* quoad habitum & vestitum notet eum non plane esse contemnendum JCto, quippe cui ratio civilium officiorum necessitatem quandam nitoris imponit. *Plin. 6. ep. 32. Senec. ep. 92.* dicit: Mundæ vestis electio appetenda est homini, natura enim homo mundũ & elegans animal est.

**Morosi.**

**JCtus sit vestibus mundus.**

est. Et *Aristoteles 2. Rhetor. c.4.* docet amari mundos vestitu. adde *Ordination. Cameral. lib.1. tit.18. vide Durum di pascolo Aulic. polit.* §. *86. & 87.* & hæc multa ad splendorem & Autoritatem conciliandam facere, usus docet, & nostræ Leges jubent JCtum Autoritatem suam tueri. *vid. l. elegantem 19. ff. d. Offic. Præsid. vid. Nov. 17. c.5. R.I. d. Anno 1530.* §. der Cammer-Richter / adde *Boccalin. part. 1. Relat. 41.* quod bene faciet, si publice severus & gravis, privatim comis & humanus sit, si nulli se faciat nimis sodalem, hinc interdum Roma secedebant JCti, ut & studiis commodius invigilarent & autoritatem tuerentur, majorem enim é longinquo esse reverentiam credebant.

**Secessus Romanorum.**

De Secessu habes *l.21.* §. *10. d. Recept.* Virgiliani secessus meminit sive Tacitus s. Quintilian. *d. Orat. c.13. n.2.* *Plinius junior hoc* secessu frequens utebatur, *vid. lib.1. ep.9.* ibi elegantissime: Cum secessero, tum subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus

ab-

absumpsi? Nihil audio, quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat, Nemo apud me quenquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi unum me. add. *ejusd. epist. 31. lib. 6. ep. 3. lib. 7.* Nec alium ob finem quam ut autoritatem tuerentur JCti Romani solennes ritus se consulendi observari volebant, ut non sine causa dictum videatur à Cicerone: Domum JCti esse oraculum civitatis. Olim enim qui JCtos consulere volebant, summo mane ante galli cantum venire, & in vestibulo domus consistere tenebantur, hinc *Horat. lib. 1. Satyr. 1. v. 10. dicit:*

Ritus consulendi JCtos antiquus.

*Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. &c.*

Tum clausas fores pulsabant adituri, intromissi hisce verbis à JCto quærebant: Licet consulere? Ad quod JCtus: Consule, vel, licet. & hoc non vulgarem splendorem conciliabat JCtis. Ast illa, prout dictum, ad externa pertinent, Noster, quoad internos potissimum emineat mores, teneat habenas

Mores JCti interni.

habenas animi, dominetur affectibus suis, omnibus enim his utilior negotio quies est, qui non habent iram in potestate, quos ad temeraria verba quælibet indignatio effert, qui urbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus, horum contumacia non facit ad aulam. *Senec. d. tranquil. An. cap. 4.* ita justitiam administret ut subinde misericordiæ locum relinquat, ne tamen precibus calamitosorum statim inlacrymetur, quod vetat *l. 19. ff. d. Offic. præsid.* Sed severitatis & clementiæ mixturam passim laudatam, & inter præcipuas Politici artes habitam observet, respiciatque ad conditionem humanam, in lapsus facilem, cogitetque multos, si serventur, ad pænitentiam reverti posse. sciat & sibi conciliare animos hominum, nec sit singularis, ratio enim vitæ adjumenta hominum desiderat. *Cicer. 2. Offic.* nec facultates neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut benigni mores, *l. 21. §. 5. ff. d. Excusat.* Hoc tamen cuivis de plebe non

non competit, sed iis, quibus est purgata, non Batava auris, bonæ naturæ, laboriosi & molesti usus exercitium est, & ut Barclajus ait: sedulæ austeræque diligentiæ, & anxii in suas cupiditates imperii. Præcepta generalia ex Ethica hauriuntur, uti dictum, specialia, minusque trita collige ex *Aristot. d. Affect. & morib. Cicerone d. Offic.* in quibus libris abyssus scientiæ non omnibus penetrabilis, latet, de quibus Cōler de Studio politic. ait, illos ***auro contra æstimandos esse***, *junge Guazzium, Piccolomineum, Guevarram, adde Scipionem Claramontium de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus, videatur Ludovic. Vives introduction. ad sapient. Pelden. Element. jur. part. 3. per totum, l'utile di Leonardo Agosti*, qui docet modum subjiciendi homines non violentum, sed spontaneum, amore fide & reputatione consistentem, latinitati olim donavi hanc venationem hominum, hujusque Itali, ut vocat, Secreta, eleganter *Cic. Orat.*

*pro Muran.* Dum Urbanam militiam sequitur Jctus, de nocte illi vigilandum, ut suis consultoribus respondeat, arrogantia & stultitia multorum perferenda; difficultates infinitæ exsorbendæ, vivendum ad aliorum arbitrium non ad suum. Longum foret hic illa omnia persequi, sint tamen uno verbo illa quæ plerumque bene scribuntur & male observantur, Leges vitæ, non ostentatio scientiæ. Antequam ad graviora tendamus & mores Jcti mittamus, examinemus illam quæstionem, utrum Jctus interdum jocose decidere, consiliaque suppeditare joco possit? Videtur primo negative dicidenda esse quæstio, non tantum quia supra voluimus ut Jctus autoritatis suæ custos sit, & à ludicris omnibus abstineat, sed & propter Ciceronem, *qui lib. 1. d. Offic. p. m. 482. dicit*: Neque ita generati à natura sumus ut ad ludum & jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius & ad studia graviora atque majora. Sed illud non

obstat

obstat. Non faciam quidem ut enumerem pro quæstionis decisione illius Judicis facetam decisionem, cujus mentionem facit *Zinkgref. part. 3. Apopthegm. p. m. 65.* Asinus inquit, molitoris, cujusdam pharmacopolæ ebiberat vinum Hispanicum, hic accusabat molitorem, sibique damnum resarciri cupiebat; Judex quærebat utrum stans an sedens bibisset Asinus, stantem hausisse respondet illico, tum Judex ita decidit: **So ist es nur ein Ehrentrunck / welchen man stehend thut / gewesen / den pflegt man nicht zu bezahlen.** Sed distinguo inter jocum immodestum & ingenuum; illum scurrilem & mimicum improbat *Cic. 2. d. Orat. p. m. 234.* hunc sc. ingenuum, non immerito laudat, in quo sæpius excellentis ingenii lumen eminet, hinc *lib. 1. d. Orat.* dicit: libandus ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tanquam sale perspergatur omnis oratio. Hinc jocus & extemporanea decisio non minimum in Legatis est ornamentum,

Ehrentrunck eines Esels.

tum, inde colliguntur hodie multorum facete dicta, quæ vocantur Apophthegmata, ex quibus multum solertiæ multum prudentiæ addisci potest. *vid. Conring. c.14. d. civil. prud.* imo ex Ciceronis nostri *l. 2. d. Orator. p. m. 239. & p. 40.* evidenter contrarium patet, ibi: quæ de facetiis disputarat, non majora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta vocat. Sit itaque noster cum gravitate salsus, & severitatem pari jucunditate condiat, & firmus sibi persuadeat, superbam & fastidiosam autoritatem non ferre homines, ne in maximis quidem viris & omnem laudem meritis. temperet tamen sibi in seriis & publicis risum movere, & scurram agere intempestive jocando, nam ut *Forstner. ad V. Annal. c. 2. docet*, inter remissiones tantum animi jocis utendum; in seriis & publicis aliorum risum ciere scurrile est; quod notando Senensium exemplo probat, quorum incongruum jocum nulla oblitterabit memoria. hi enim cum ad Gallos descivis-

**Ex Apophtegmatibus etiam haurienda est prudentia.**

**Intempestivus jocus.**

sciviſſent, Cæſarianis ſe per Legatum ita excuſabant: *ò diavolo! non ci ſcuſerà il ſaperſi, che noi Saneſi ſiamo pazzi.* Notum eſt, quod etiam nos excuſabit, Senenſes eſſe ſtultos, ſed à Cæſarianis reſponſum fuit: Imo excuſabit, ſed ea conditione, quæ mente imminutis convenit, quos, quia ſui compotes non ſunt, catenis coercemus, ne vel ſibi, vel aliis nocumento eſſe queant. talem inconvenientem Athenienſis legati ad Philippum jocum, ubi Regem ſe ſuſpendere jubet, *vid. ex Senec. l. 3. d. ir. c. 23.* Sed ſatis de joco.

Vides opinor, quam omnium artium domina pulcherrimo comitatu inſtructa incedat! Vides, quam omnes artes quæ ad veram philoſophiam pertinent commune quoddam habeant vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur. Nullum certe harum omittere, ni auream catenam rumpere velit, poteſt JCtus. hinc *Doctor meus obſervandus Dominus Tabor in præfat. d.*

*Reg.*

*Reg. Imper. Eccles.* omnes Philosophiæ circulos peragrandos ei arbitratur, qui aliquando utilem reipubl. operam navare, nec alienis plane oculis totum corpus salutemque velit committere. Est idem quod *Aristoteles lib. 1. Metaphys. cap. 2.* dicit: Philosophum esse eum qui omnia scit. Ast ubi tibi tales perfecti Jcti, objicis, ubi polymathia ea instructi? Non multum superesse ætatis, illud parce dispensandum, nec sufficere necessariis: non nisi dementiam esse supervacua discere in tanta temporis egestate. Verum quidem est, raros esse, qui ita philosophantur, *l. 6. §. 7. ff. d. excusat. vid. Plato l. 6. d. rep.* rariores, quibus illud Jarchæ, Indicorum Brachmanum principis dictum ad Apollonium referente *Philostrato lib. 3. cap. 6.* competit, Interroga quicquid velis, ad viros enim venisti, qui cuncta sciunt, Rarissimi tamen sunt, qui quod de Grotio Graswinckel testatur, præsuppositis illis, de quibus jam dictum est, præsupponen-

nen-

rendis, ſuopte auſpicio expedire, perſequi, implere omnem ſibi propoſitum locum ex quocunque literarum ac doctrinarum genere, remotis etiam librorum ſubſidiis poſſunt, & hoc perfecti eſt emblema Jcti, nam prout eleganter *Dn. Bacler. in Muſeo* ait: Cortices aut utres devehunt ſecum, non qui natandi periti ſunt, neque adminicula ſapientiæ perficiunt ſapientiam, ſed inchoant. Apparet ergo male hujus tam ſolidi & ſplendidi nominis decus in illam, neſcio cujus ſcientiæ umbram accommodari, quæ id ſaltem ſcit, quod è magiſtrorum ſcholis accepit, & ideo putat eſſe verum, quia illi dixerunt, quibuſque, ſi autoritate Doctorum deficiuntur, ſtatim hæret aqua. Qui non ſuo ſibi ingenio ſapit, eum ego quovis potius quam veri Jcti nomine cenſendum exiſtimaverim. Sunt itaque rari tales, concedo, ſunt tamen, & eſſe poterant plures, modo ne nimis feſtinarentur ſtudia noſtra, & plerique inferioribus neglectis cruda

Cur & unde tam pauci vere ſtudentes?

da adhuc principia in Academiam propellerent, & prout hodie vulgo dicunt, ſtudia ſua diſputatione aliqua conſcripta abſolvere maturarent, & nomine magnifico ſegne otium velarent, mundumque fallerent, cum tamen in ſtudiis vix oberrarint. Sic talis eſt Eruditus par force, &

**Eruditus par force.**

*Eſt ſage à triple doublure,*
*Mais ſi l'on oſtoit la dorure,*
*Et l'on voyoit à nud ſa teſte,*
*On diroit que la couverture*
*Fait bien vendre une groſſe beſte*

vide elegantiſſime de hiſce differentem *Clariſ. Dn. Baclèr. ad l. 4. hiſtor. Tac. c. 5.* Nec vero ego ita rigoroſus eſſe volo, ut exiſtimem absque minutiſſimis enarratorum Jctum eſſe non poſſe, perfectum nos delineare voluimus Philoſophum, huc usque quoad præcognita neceſſaria exhibitum, nimirum ut ipſa veriſſima & primigenia recti ſpecie ob oculos continuo poſita exiſtente, quicquid in ectypo vitioſum eſſet, facilius dignoſceretur, emendareturve. Quod ſi in uno non omnia

omnia apparent veri Jcti requisita & emblemata, audiamus id, quod de Consiliario suo dicit *Bartolomeus Filippe p. m. 62. 63. Non ostante, che non si ritrovino in alcuna persona tutte queste qualità, servono non dimeno per mostrare la Idea del buon Consegliero, & perche non si trovano in persona alcuna, tengono li Prencipi molti Conseglieri, acciò l'uno supplisca in quello, che l'altro manca.*

His ita positis ad studium juris noster pergat, quomodo autem? ante omnia jus pacis atque belli bene discat, quod modernis est Jus Gentium. *Grotius in consilio ad Benjamin. Auberium Galliæ Regis ad fœderat. German. provinc.* Legatum ita scribit: Nihil est quod tibi æque commendem atque studium Juris, non illius privati, ex quo Legulei & Rabulæ victitant, sed gentium ac publici. *Sed de his cap. VI. agetur.* Plura alii desiderant in vero JCto. Theologum & Medicum vult post Mercerium *Autor d. Necessit. JCti.* Prius laudo, regnum enim

Quomodo jura tractanda.

Aliorum postulata.

enim Dei non tantum quærendum est primo, posthabitis omnibus, sed & Theologia in jure publico, quod in sacris &c. consistit, necessario advocanda, quanquam & hoc negarem ei, qui Theologum absolutum intelligit, aliud enim est ex solidis principiis fidei rationem reddere, aliud Theologum esse, posterius, quod de Medico dicitur, superfluum est. Oeconomiam ab eo desiderat *Ehemius l.3. c.2. p.m.176.* neminem n. remp. recte gubernare posse arbitratur, nisi suæ domus æquus sit administrator & felix moderator. Sed præterquam quod argumentum à prudentia Oeconomica ad prudentiam politicam sit infirmum, non enim judicii, sed experientiæ & solertiæ & rusticis obviæ res est, non video quomodo Oeconomi ad necessitatem JCti obtorto collo trahi possit, illa enim non meliorem ne deteriorem qua tàlem facit JCtum An Stoici è quibus & Ulpianus noster erat, non erant JCti? Horum plerique tamen male erant Oeconomi nam

**An JCtus debeat esse Theologus.**

**An Oeconomus?**

nam hilares sua amittebant, Oeconomica pessundabant, in jactura rerum ne damnum ingemiscentes. Sua enim se secum ferre bona gloriabantur, quæ nulla vis excutere posset, quod si quid prudentiæ ex Oeconomia sibi applicat Jctus, non est amplius Oeconomiæ præceptum, sed Politicæ domesticum. His itaque præcultus *ad sacra Themidis intrat futurus ICtus, sic conciliata sibi ancillarum benevolentia ad Penelopem, hoc est reginam omnium scientiarum, veram philosophiam accedat*, remp. observet, & jura ejus, illamque vel instituendam, vel institutam, hodie circa institutam potissimum occupatur. In utraque veri philosophi maximum munus est observare rempubl. sancire jura, ferre, corrigere & mutare Leges. Nec enim Jctum nostrum in abstracto, sola munitum judiciaria, sive forensi prudentia consideramus, qua instructus jus civile privatum saltem enucleat, sed illum San-

JCtus Sanctor Legum.

ctorem Legum volumus esse alias multis parasangis JCtus verus à Politico distaret, eoque inferior esset. Sunt enim qui sejungi posse autumant verum JCtum à Politico, & Hi Legislatoriam, i. e. remp. juribus instruendi facultatem sibi solis vindicantes, nescio quos spiritus sumunt. Non hic cum turba nobis res est, habemus contradicentes doctos, quorum autoritati cedere debebam, ni veritas prævaluisset. Inter alios sibi adulari videntur *Horneus* & alii, *obsecro vos ut bona me venia audiatis*, dum constitutam remp. JCtis, constituendam Politicis relinquunt, s. ut perspicacior sim, qui dicunt Jctum non condere Leges, sed conditas interpretari tantum *lib. 4. cap. 3. d. prudent. Legis. lat. num.* 7. Nec *Piccartum* audio *in Prolegom. ad Polit. Aristotel.* excellentem alias Autorem, qui Jctos Politicorum ministros vocat, quod tertiam saltem partem sc. forensem tantum tractent. Idem Jctorum, quod miror, nonnulli amplectuntur.

*Ehem.*

*Ehem. de princ. jur. lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 2. p. m. 172.* ita : Ex quibus omnibus id jam demonstratum esse arbitror , Legislatori , ipsiusque *Ministro ICto* reip. cognitionem esse necessariam. Non enim de vero tantum loquuntur JCto, qui necessa- politicus sit, quales & olim JCti erant, prout infra demonstrabitur. quique suppossuerit studium historicum & prudentiam Architectonicam ejusque exercitium. Et hæc simpliciter & καθ' ἐξοχὴν Jurisprudentia nuncupari meretur. *vid. Conring. d. var. & ver. Jurisprudent.* Quod si illud verum esset, hæc absurda sequerentur, 1. Esset JCtus minister sui ipsius, & 2. Theologia esset ministra & famula Philosophiæ, & Medicina Physicæ , idem enim respectus & eadem est Analogia. Quid quod non dicis causa JCti vocantur ***juris conditores***, *l. 25. C. d. nupt. l. 1. C. d. comm. Serv. manumiss.* ***juris Auctores***, *l. 93. ff. d. act. empt. l. 17. ff. d. jur. patron. l. 23. C. d. procurat,* ***Patres juris***, *Gell. lib. 12.*

**JCtus non est minister Politici.**

*Noct. att. c. 13. Legum latores & conditores juris*, *l. 1. §. 7. l. 2. C. d. V. l. enucl. vid. Horn. de civit. cap. 4. pag. m. 43.*

Objectio. Frustra tu quidem, quisquis es, arietem emittis, JCtum nostrum, quod supra Advocato objiciebatur, necessarium malum appellando. *Felix fuisse ante Architectonas sæculum, primos mortalium naturam incorruptos fuisse secutos, eandem habuisse & ducem & legem, commissos melioris arbitrio, sed postquam surrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sint, opus fuisse Legibus.* Apparet ergo vel ex ipsis quæ objicis, *non ideo miseram esse rempubl. quod Legibus & JCtis sit instructa, sed ideo Legibus esse munitam quia misera est.*

CAP.

# CAP. VI.

## De Nomothesia.

*Legum requisita. De æquitate & primis Naturæ. Sinensium modus proponendi jus Naturæ. An jus civile obliget omnes gentes. Processus æquitatis in nova Lege ferenda. Philautia radix juris, frenum Philautiæ. Doctorelli ignorant æquitatis fundamentum. Errores circa æquitatem unde! Pars naturalis Nomothesiæ. De genio populi. Doctrina Characteristica. De peregrinatione ICto necessaria. Nomothesiæ pars formalis. Locrensium Severa Legumlatio. De divino Legibus olim admixto.*

STante itaque jam Thesi hac, veri JCti esse sancire Leges, superest, ut quomodo Leges ferendæ sint, de-

monſtretur. Intelligere autem me ſanctionem non majeſtaticam ſive autoritativam, ſed miniſterialem, non ex poteſtate ſed habitu promanantem, etiam dum non dico, dico. Facilius hoc forſam expeditu erit, ſi prius requiſita LL. generaliter perluſtremus. Hæc proponuntur ab *Iſidoro in Origin. c. 10.* Quod *lex omnis debeat eſſe honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, & patriam conſuetudinem, loco temporique conveniens, nullo privato commodo ſed pro communi civiũ utilitate conſcripta, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque & perſpicua.* Sed ais: Quomodo perſpicuæ LL. quomodo obſcuræ ſunt. Obſcuritas inquit *Bacon. d. verulam. ſermon. fidel. 61. Aphorism. 52.* à quatuor rebus originem ducit, vel ab accumulatione Legum nimia, vel à deſcriptione earum ambigua, aut minus dilucida, vel à modis enucleandi juris neglectis, aut non benè inſtitutis, vel denique con-

**Legum requiſita.**

dictione

dictione aut vacillatione judiciorum. In quibus partibus una tantum est quæ legem ipsam attinet, scilicet scriptura obscura aut ambigua, cætera aliunde accidunt, ut multitudo LL. à Legislatoribus, sinistra enucleatio ab interpretibus, quibus accenseri judices & dissentientes aut vacillantes possunt. Hæ sunt qualitates Legum generaliter exhibitæ, quæ hactenus rem non rei modum indicant, de quo nobis nunc sermo est instituendus.

**Aristotelis modus tradendi Leges.**

Aristoteles hanc legum tradendarum rationem exponit: primo viros prudentes omnes omnium rerumpublicarum mores ac Leges colligere. 2. collectas comparare. 3. Ex comparatis optimum reip. genus conflare debere. adde *Bodin. method. histor. c. 6. p. m. 207.* Et hæc in antecessu superficiarie, in Legum latione ita, ni fallor procedendum est: ut primo quid circa quamq; rem justum vel injustum, quid æquum quid iniquum sit, ex divino animis nostris insito thesauro &

semine solers scrutetur Nomotheta, tenenda enim nobis via est quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum, illam sequentibus omnia facilia & expedita sunt, contra illam nitentibus non alia vita est, quam contra aquam remigantibus. ille immobilis ad immobile Numen magnes, ne aberretur, monstrabit iter, ex quo noster, qui Navarchi instar remp. moderatur, judicium rerum obeundarum firmabit, & componet actiones hominum, hoc illi haud difficile erit, si moralem doctrinam exerceat, officia illa communia Deo & hominibus debita inquirat, & illa prima Naturæ tanquam columnas quibus superstruendæ sunt res civiles, sciat, veri ac falsi confinia, horumque sinuosos anfractus satis habeat exploratos. *vid. Trajan. Boccalin. part. 1. Relat. 41.* ibi: Der seye im Regiment nöthiger / der discret und leutselig und eine Sach der Billigkeit und Vernunfft nach / welches nicht in den Büchern beschrieben / zu ermessen weiß / dann der im

Natürlicher wird dem gelehrten Verstande fürgezogen.

im Rechten fast gelehrt sey. His addat Gentium non tantum saniorum mores & instituta, ut Ebræor. Romanor. & Græcorum. Sed & Barbarorum, non enim omnes barbaræ fuere, quæ Romanis aut Græcis tales videbantur, imo à barbaris omnis philosophia originem sumsit, prout testatur *Diogenes Laert. d. vit. philosophor. princ. adde Ciceron. lib. 5. d. finib. bon. & mal. p. m. 143.* Accuratius indaget philosophorum diversorum antiquorum scripta, exque his floriferis ut apes in saltibus omnia libant, depascatur aurea dicta, & diversorum diversis licet rationibus, judicium ferat, & eliciat quæ moralibus & civilibus conducere possunt studiis. Ex illorum enim scriptis & institutis, cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere, ab his Oratores, ab his Imperatores, ac

rerumpublicarum principes extiterunt. *Cic.5.d.finib.*

**Auxilium divinum.** Quod si hic bene procedere velit, auxilium summi Numinis & revelatio cœlestis concurrat necesse est, apud cultissimos enim populos lumen naturæ fraudibus Satanæ interdum obtenebratum vidimus. vide hoc in compendio eleganter demonstrantem *Calixt. Theol. moral. cap. d. LL. à pag.49. ad complures sequentes*, id quod & sacro firmatur oraculo. *ad Ephes. 4. v.7.* extat: Gentes in vanitate mentis suæ ambulant, tenebris obscuratum habentes intellectum, & alienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis, per obdurationem cordis eorum. hanc partem Nomothesiæ substantialem dicit *Hopper. de ver. Jurisprudent. l.3. tit.4.* ob id *Hornio d. civitat. in procem. c.5.n.2.*

**Perfectus JCtus.** *perfectus* JCtus *est qui immotam regulam mortalitatis in jure naturali positam, noverit à primis causis derivare, immediata conclusa rite deducere, tum*

*tum attributa & effecta legitime explicare.*

Teneat itaque noster philosophiam naturalium & moralium, suggerit enim principia practica, quæ actum moralem honestum præcipiunt, turpem vetant. jungatur *Hugo d. Roy de eo quod justum est lib. 1. tit. 3. §. 6. & 7.* ibi ex Rabbinis & Talmudicis jura Noachidarum seu naturæ præcepta tradit, adde *Selden. d. jur. N. G. Ebræor. lib. 1. c. 10. p. 117. 118. &c.* ubi septem præcepta Noachidis imperata tradit ex Rabbinis. Hanc doctrinam Sinenses præ cæteris gentibus ita colunt, ut eam voce publica decimo quinto quoquo die commendent per totam Chinam, hæc autem est præceptorum summa: 1. ***Obedire patri & matri.*** 2. ***Revereri majores & superiores.*** 3. ***Pacificare proximos.*** 4. ***Instituere liberos & nepotes.*** 5. ***Officio suo facere satis.*** 6. ***Nihil mali agere, ut occidere, fornicari, furari, &c.***

Sinenses publice Naturæ præcepta proclamant.

Hac æquitatis natura & accurata cognitione si careat JCtus, nec in nova Lege ferenda, nec in lata explicanda, nedum extendenda justus & æquus erit. Lex enim omnis pro basi habere debet æquitatem, & est conclusio deducta ex principio hominum mentibus natura insito, per elegantem consequentiam, ob id *à Suzholta differtat. 1. th. 35. Medulla juris*, & à *Menochio de arbitrar. Jud. quæst. l. 1. qu. 13. n. 17. Theriaca contra venenum* dicitur. Quæ æquitas cum tanta sit in legibus nostris Justinianeis, *fuere qui eas quasi gentium jus quoddam commune* per totam fere Europam observari dixere. *Hugo de Roy de eo quod just. l. 1. tit. 8. §. 6.* qui tamen hoc ex historia nunquam probabit, imo & juri nostro contrarium est, quo passim docemur jus civile romanum proprium civitatis i. e. reip. romanæ fuisse. *Alii non nisi æquitatem scriptam vocarunt, & rationem naturalem*, cumque hæc omnes obliget,

**An jus nostrum civile est jus Gentium!**

**An omnes gentes obliget.**

obliget, & jura nostra omnes obligare concluserunt, sed hoc falsum est, jus enim civile positivum non omnibus gentibus præscriptum est, multo minus est ipsum jus naturale. Imo nec Rusticos excusat ob ignorantiam juris communis *Arthur. Duck. d. autoritat. jur. civil. lib. 1. cap. 2. §. 6.* Sed vereor ne nimia hæc sit extensio, præterquam enim quod multa dicantur juris naturalis & Gentium à Doctoribus communiter, quæ revera non sunt, si accurate loqui velimus, multa enim populis ob commoditatem aliquam placuere, sine vi obligationis, aut jussione aliqua à Majestate dependente. *adde Grotium d. J. B. P. l. 3. c. 1. n. 8. Horn. d. civit. lib. 2. cap. 2. n. 6. & seqv.* Ubi multa nova & contra communia Dd. aut tu offendes, aut te offendent. *adde Conring. d. LL. §. 25.* aliud etiam est esse jus naturale, & esse ex jure naturali per consequentiam elicitum, obligant Rusticum, si quæ sunt, non qua hominem, sed civem, nec sequitur in quo jure

**Rustici ob ignorantiam juris civilis non excusantur.**

eſt naturalis æquitas, illud Ruſticus ſcire tenetur, multa enim jura per conſequentiam ex univerſaliſſimis æquitatis regulis deducta ſunt, quæ Ruſticus ignorat, qui interdum ob pravos mores & educationem incurioſam in ipſis primis naturæ dubitat, quod ſi illud ab Arthuro poſitum verum eſſet, ad aliorum etiam jurium præter noſtrum civile idem teneretur cognitionem.

Elegantiſſime *Calixtus in Theologia morali à pag. 18. ad cæteras* diſtinguit inter principia prima practica, qualia ſunt: bonum eſſe faciendum, malum fugiendum, & Concluſiones ex illis deductas ſ. leges poſitivas, ex quibus formari ait dictamen practicum per prudentiam, hoc vocat dictamen intellectus practici practicum, in his certe errabit Ruſticus, nam & nationes & gentes ob pravam educationem, conſuetudinem & præconceptam, opinionem in illis erraſſe compertum habeo. Egregius alias Autor *Arthurus Duck Stortiam Oddum pro*

*hac*

*hac opinione adducit*, ipse vero vel ex hoc excusandus videtur, quod *intentio ejus fuerit excurrere in laudes Juris Justinianei* ***ob eam maxime causam*** *ut in patriam suam Angliam Ius Iustinianeum induceret*, hunc enim libri ejus scopum fuisse docet *Conring. de prudent. civil. c. 14. p. 316.* Fundamentum itaque juris & Legum est æquitas, ex qua ferendæ interpretandæ & supplendæ sunt pleræque Legum. dico pleræque Legum; nam plures LL. in utili fundari & niti certum, & jam tum ab illis, qui in occipitio oculos gerunt, demonstratum est. illud, supplementum scil. Legis fundatur *in l. 32. ff. d. LL.* ibi: si qua in causa deficiunt scripta vel non scripta jura, custodiri oportet id quod proximum & consequens est, id est, æquitas. *suppletur autem illud consequens per triplex remedium, vel processum ad similia, per usum exemplorum licet in legem non coaluerint, vel per Iurisdictiones, quæ statu-*

Triplex supplementi processus.

*statuunt ex arbitrio boni viri.* quoad processum æquitatis in nova Lege ferenda, sanctus, catus & bonus sit noster, nam aut providentia sua summum reip. bonum, aut socordia aberrante exitiale reip. malum procurabit, ut enim argentum privatorum, sic Leges civitatis numisma sunt, juxta Solonem; quemadmodum ergo illud cum adulteratur, nullius valoris & pretii est, ita & Leges adulterinæ si sint, non prosunt.

**Processus æquitatis in nova Lege ferenda.** Ante omnia respiciatur hic æqualitas de seipso in alium, secundum naturam, per dictamen Conscientiæ, ut quod tibi non velis fieri alteri ne facias, hoc enim est fundamentum æquitatis, quod perpetuus voluntatis divinæ Dictator Christus cœlitus instillat, cum quo coincidit illud: Diligito proximum tuum sicut te ipsum.

**Philautia radix Juris.** Hinc sunt qui dicunt: *radicem totius juris naturalis esse Philautiam,* s. sui amorem, ille sui amor est innatus, quod ex defensione sui, cura

cura suorum sollicita apparet. *Senec. epist. 12.* inquit: Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. Hæc animalibus inest cunctis, nec inseritur, sed innascitur, & ad illos Philautiæ stimulos respexit Ulpianus in definitione, qua Jus naturale definit *quod natura omnia animalia docuit*, ex hoc capite enim commodius, ni fallor, illa explicatur descriptio. Sed sicut ille sui amor si sincerus & rectus est, omnium emergentium LL. mater esse potest, ita, si occæcatus sit privato utili, & affectibus, vitiorum omnium est genitrix, hinc enim omnis vitæ pestis oritur, quod sibi quisque blanditur; & quantum aliis præter æquum detrahit, tantum sibi philautiæ vitio præter meritum tribuit, testatur idem non tantum summus ille æquitatis Architectus in eleganti adagio, quo festucam ex alterius oculo ejici vetat, sed *& Plato lib. 5. d. LL.* ibi: Omnium vero maximum quiddam malum, in multorum hominum animis est innatum, cujus quidem, cum facile sibi ignoscant, remedium nullum excogi-

excogitant. Est autem hoc, quod dicere solent, quod natura sibi quisque amicus est, recteque est, id ita se habere, sed revera nimius in seipsum amor omnium peccatorum semper omnibus est causa. Occæcatur quippe circa amatum qui amat, quapropter qui se amat, cum se ipsum magis, quam veritatem honorandum putat, quid justum, bonum ac pulchrum sit male judicat. Cohiberi tamen iste sui affectus potest, *freno illo aureo & habena quam à cælo delapsam credidit antiquitas* : γνῶθι σεαυτὸν, *ex hac s. sententia s. oraculo, Demonas veram derivabat philosophiam*, hic enim interrogatus, quando cœpisset philosophari? posteaquam, inquit, cœpi nosse me ipsum. *Cicer. lib. 3. Epist. ad Quint. fratr. 6. dicit.* illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus. *adde Robertum Scharrockium*

**Ex sententia γνῶθι σεαυτὸν veram philosophiam derivant.**

rockium

*rockium de Offic. secundum jus naturæ Cap. VI.*

Dixi debere Nomothetam respicere ante omnia æqualitatem, non exclusi utile civitatis, in quo plurimæ LL. positivæ nituntur, illud in conspectu habeat, examinet, hoc enim multa constituit, quæ non ex æquitate sed præter naturam sunt, dominium hoc infantium introduxit, quodque hi obligare non obligari possint.

Et alia, de quibus Leges Justinianeæ passim loquuntur. Illud tamen utile si in republica Christiana nimium extendatur, rumpit & evertit basin omnium Legum Christianarum; De Legibus Romanorum & paganorum jam non loquor, de quibus nonnemo ingeniosissime ita scribit: **Die Römische Rechte haben die Heydnische Römer als**

als ihr Erfindniß Gottes Gesetzen und der Christlichen Lieb zuwieder/ auff die Leisten ihres gemeinen Nutzen/ und zu dessen Ergrösserung gericht/ dazu wie Maußfallen listige Formulen angehenckt/ wer darein gefallen/ der ist ärger als in Garnstrengen verworren/ und hat sein Recht alsbald verlohren/ solche verrostete Maußfallen hat man vor Jahren umbgeschmiedt/ und mit soviel Dornhecken umbzäunt/ daß fast niemand in dem wilden Wald zu seinem Rechten kommen kan.

Lex detractionis in utili fundata.

Ex hoc utili Nomotheta videns subditos ob certas rationes frequenter emigrare, remedia meditatur, Legemque detractionis sancire cogitat: Quicunque emigraverit, decimam bonorum partem relinquat, hanc dum animo volvit constitutionem, recurrit ad illud principium primum, ex quo Leges omnes examinandas esse diximus, Quod tibi non vis fieri &c. Sic dubius est in conscientia, an lex æqua, ob id ferenda sit, huic dubio tamen statim satisfaciet, simulac publi-

publicam utilitatem & Rationem status præponderare debere concludit, reip. enim intereſt multos habere ſubditos, de quo inſecuturis Nomotheſiæ partibus agetur pluribus. Hoc tamen quod diſputatum eſt, iniquum videtur *Nicol. Mylero d. princip. & ſtat. imper. c. 63. n. 3. 4.*

Apparet itaque quam limpida jurium ſcaturigo ſit æquitas, quamque non vulgaris laus ſit, qua *Cicero Sulpitium in Philippic. 9.* laudat ob admirabilem & divinam in æquitate explicanda ſcientiam. Hunc habitum cum non haberent *miſeri Doctorelli*, die deß Macherlohns nicht werth ſind / uti dicit *Lanſ. in diſcurſ. d. Academ. fol. 85.* und die man mit Dutzeten wie die Nürnberger Taſchenmeſſer verkauffen möchte: *Garzon.* Schauplatz *diſcurſ. 5.* illos è finibus Imperii exterminare voluit Fridericus III. Weil ihnen das Recht mehr dann den Leyen verſchloſſen war / und konte ihrer keiner den Schlüſſel / (ſ. æquitatis fundamentum) darzu finden / biß beede Theil arm worden. Hæc autem Conſtitutio

Doctorelli.

Conſtitutio Friderici III.

ſtitutio non reſpexit veros ſed ſimulatos JCtos, qui prout Conſtitutio loquitur, ſunt **Stieff-Vätter unnd nicht die rechten Erben der Rechten / sondern Ihnen den Grund der Warheit nehmen.** Quique ſecundum opinionem Anonymi de neceſſitate JCti, ex Italia diſputationes & altercationes Canonicas & Pontificias, aut aliena jura ſine judicio ferebant in rempublicam noſtram.

Errores circa æquitatem & Nomotheſiam unde oriantur.

Hic certe in æquitatis doctrina, ſi unquam bene cavendum eſt JCto, ne pernicioſe erret, quod plerumque fit, ſi tractatur de bono & æquo, eſt *l. 91. §. 3. d. V. O.* **junge Reinking** *de R. S. E. lib. 2. cl. 2. cap. 12. num. 40.* Aut enim in Legumlatione natura æquitatis violatur dum Nomotheta nimium opinioni & *juri Cerebrino, quod imperitis pro vera Philoſophia eſt*, tribuit, aut in concurſu caſuum complurium, quorum ſingulis ſubeſſe æquitas videtur, ſe non bene extricat & fallitur Nomotheta, aut, quia infinita negotiorum ſingularia videt,

videt, nimia laditudine aut brevitate rem definit, ex quo ob interpretationes Dd. varias secuturas, non nisi lites feruntur. Aut partem utilitatis publicæ præcipuam putat, quæ non est præcipua, aut interpretatur eam prolixius quam par erat.

Non omnia quidem æqua sunt, quæ æquitatis habent imaginem, fallitur enim arbitrium hominis interdum, non ergo ab arbitrio humano jura dependent, quem priscorum errorem fuse, satisque operose per totum fere Plato de republ. evellit. Sic æquum videbatur Cyro adolescenti, narrante Xenophonte, detrahere Tunicam longiorem brevioris staturæ juveni, eamque dare procero & longiori, curtamque dare breviori adolescenti: Sed plagis castigabatur ob hoc decretum à pædagogo Cyrus, hac elegante correctione adhibita. *Justitia est æqualitas, non quæ nobis videtur, sed quam lex ordinat, & Cicer. lib. 2. ad Heren.* dicit:

**Jura non ab arbitrio dependent.**

Natura

Natura jus est quod non opinio genuit, sed quædam innata vis insevit.

De Relictis Arbitrio JCti.

Caveat ergo Jctus, ne sibi & suo Arbitrio plus æquo tribuat. Romani olim ut cohiberent arbitrium, Album proponebant, in quo præscribebant, quomodo jus dicturi essent, noverant enim optimam Legem esse, quæ minimum relinquit arbitrio Judicis, optimum Judicem, qui minimum sibi. contra quod misere impingunt illi, qui generales nimium LL. proponunt. illi vero prudenter faciunt, qui in Legibus suis circumstantias, temporum, rerum, ordinis & ætatis arbitrio reservant, sic enim minus peccabitur, & quisque se teneri ad observationem Legum existimabit. Regulatum itaque esto arbitrium jure, ratione ac æquitate. *Menoch. d. arbitr. jud. quæst. 1. quæst. 6. vid. l. 30. ff. d. oper. libert.* ibi non aliter arbitrium ratum habet nisi æquum, quod sit formatum secundum dictamen intellectus practici, & examen actionum antecedentium & consequentium, quod si jucunda est recordatio, dictitans bene se pronun-

Quale esse debeat arbitrium.

ciasse

ciasse bonam conscientiam habet, & quiescat, sin secus, firmus sit male statutum fuisse, non quiescat igitur, sed aut abeat, aut corrigat: Sin dubius sit, erit vel in re, vel in jure dubius, si in re, repetat examen omnium circumstantiarum, & causam denuo trutinet, sic facile se extricabit Jctus, si in jure dubius est, ob controvertentium opiniones contrarias, prius deficiente Lege videat an consuetudo suppleat non decisa, illam consuetudinem examinet, *nam consuetudo arte Chymica* nigrum in album quandoq; solet convertere, inquit *Knichen. d. pact. vestit. p.2. c.4. n.203.* Respiciat & aliorum, quas communes vocant opiniones, & rerum perpetuò similiter judicatarum autoritatem *l. 38. ff. d. LL.* plus enim vident oculi quam oculus, & sincerius est judicium quod plurimorum sententia comprobatur. *c. prudentium 21. d. offic. delegat.* minusque peccabit præjudiciis munitus, examinet tamen verus Jctus præjudicia, multa enim deciduntur interdum, quia locus vel tempus non patitur

Consuetudo.

Communis opinio.

tur

tur plenius deliberandi consilium, ut inquit JCtus in *l. 1. d. exerc. act.* inspiciat illas opiniones communes, Rationes enim ponderare proprie est hominis docti: autoritatibus moveri, illiterati, & sæpius accidit, ut communium opinionum sectatores similes sint avibus, quarum unam prævolantem turmatim sequuntur omnes. **Denn daß Meer /** (per quod & mare & pluralitatem opinionum indigitamus) **wirfft nicht allemahl Perlen / sondern mehrentheils grossen Unrath auß /** & Deus plurimorum acquiescere sententiæ prohibet, si à vero devietur, *Exod. 23. v. 2.*

Quod si neutrum horum suppleat desideria, recurrendum est ad commune jus, quo devincta est hominum societas, ad rectam rationem, hæc tum lex sit & ratio imperandi & prohibendi, *Cicer. lib. 1. d. LL. pag. 431.*

Hæc est basis, hoc jurium fundamentum, & Nomothesiæ pars substantialis.

Post

Post hanc attendenda est altera pars, quam *Naturalem* vocant, in hac judicium practicum in mente Legislatoris operetur, utrum ex usu publico sit, an secus. vid. *Calixt. Theolog. moral. p. 76.* hæc respiciat 1. remp. qualis illa sit, quæ indoles, an status sit simplex, corruptus an mixtus, quæ cuiq; exitiosa esse soleant, quæ gubernandi ratio conferat ad civitatem tuendam, quæ Leges cuilibet formæ conveniant, quæ adversentur, & hoc ex historia superiorum temporum hauriat, & ex illa Leges & instituta gentium repetat, eleganter, utinam fusioribus *Aristot. 1. Rhet. c. 4. à num. 22. ad 30.* hinc collige, quod verus Jctus præter nostrum jus Justinianeum & alia inspicere necesse habeat sancita & statuta. add. *Ehem. d. princ. jur. l. 3. c. 2. p. 170. Conring. d. prud. civ. c. 3. p. 27.* nam & nostrum jus ex immensis veteris prudentiæ voluminibus erutum est §. *2. proœm. Inst.* imo respexit Imperator noster omnem Legum tramitem ab urbe Roma condita ad æ-

Pars Naturalis Nomothesiæ.

JCtus verus præter jus Justinianeum & aliarum gentium jura inspiciat.

vum suum. *l.1.§.1.C.d.v.j.enucl.Cic.lib. 5.d.finib.bon.& mal.* Omnium fere civitatum non Græciæ, sed etiam Barbariæ ab Aristotele, mores, instituta & disciplinas: à Theophrasto leges etiam cognovimus. Solon adjutus sententiis Ægypti Sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri maximum dedit firmamentum. *Ammian. Marcellin. lib. 22. fin. histor.* Platonem ex *Augustin. lib. 2. d. doctrin. Christian. c. 28.* in Ægyptum profectum lego, tempore Prophetæ Jeremiæ, ex quo perdidicisse creditur, quæ post attonitis religiose gentibus legum oracula proposuit, confirmat idem *Ambrosius ad Psalm. 118. & Diodor. Sicul. vide Conring. d. prudent. civ. c. 14. pag. 350. ad cæter.* Apprime, inquit hic, ad politicam prudentiam comparandam utile est, complurium civitatum Leges & consuetudines addiscere, ad Legumlationem juvat maxime.

**De genio populi.** 2. In hac Naturali Nomothesiæ parte consideranda est natura hominum,

num, ne ſint Leges contra genium populi, ſed & rebus pariter ac hominibus bene accommodatæ. *Il faut qv' un Capitaine & Gouverneur ſage & adviſè, taſche tant qv' il peut, ſe conformer à leur humeur.* Blaſius du montluc lib. 3. d. commentaires. Nec temere de omnibus rerumpublicarum arcanis nullum creditur majus, quam ad varios gentium mores & inclinationes, civitatis cujusque leges & formam accommodare, convenienter. *Bodin. lib. 5. d. rep. c. 1.* idem teſtatur *Dominus Bæclerus in diſſertat. d. politic. Lipſ. cap. 3.* verbis hiſce: Gravia ſunt multumque in receſſu habentia, ideoque paucorum captui expoſita verba, ubi cum duos, *(loquitur d. Lipſii politica cap. 5. lib. 4. n. 2.)* prudentiæ in humanis fontes tribuiſſet, Naturam populi & naturam regni, addit: Sane cum omnia diſpexeris, nihil reperies perite ad gubernandum olim aut nunc monitum, cui non hinc ſcaturigo.

Doctrina Characteristica.

Sed unde illa doctrina de natura geniis & ingeniis populorum peti, quomodo in artem redigi debeat, à paucis hactenus monstratum est, de posteriori vix ac ne vix unus vel alter cogitavere, quia & ab accuratioribus sparsim tantum de ea traditum est. Dispescunt prudentiores illam notitiam animorum in Generaliorem & Specialem, in generaliori tractari debere, de genio & natura populorum, pro diversitate climatum & locorum, de vulgi ingenio, Regum ac regni indole, &c. Specialem esse, quæ non tantum mores senum, juvenum, fœminarum, divitum, nobilium, sed & individuorum observat, idque non tantum ex historiis, sed & ex situ loci, moribus, inclinationibus gestibus, Physiognomonicis, educatione diversorum diversa, temperamentis, communibus dicteriis & proverbiis. De proverbiis non ineleganter dicit Naudæus in Bibliographia politic. illa velut ex adytis sapientiæ prolata, & longa annorum serie confirmata,

raro

raro non veritatem præ se ferre. Commendantur quoad hoc studium præ aliis. *Tacitus, Lipsius, Johannes Bodinus in Methodo Historiæ, Jacobus Gothofredus in libro de præcedentia. Ex Gallis Charron. Scipio Claramontius de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus. Besoldus de natura populorum. Bacleri Characteres Vellejani. Huarti Scrutinium ingeniorum. Nicius in Eudemia, Petrus Firmianus in Gyge, somnio ac genio seculi. Neuhusii Theatrum ingeniorum. Cardanus in libris de sapientia & utilitate capienda, ex adversis Albertus Magnus de natura locor. & Barclaius in icone animorum, Verulam. in sermon. fidel. &c.*

Autores in Doctrina Characteristica commendabiles.

Sciat itaque noster Doctrinam Characteristicam, quæ prout dictum, ex libris, & quod restat dicendum,

 ex

ex peregrinatione, præsuppositis præsupponendis addiscitur, optime enim extra Natale solum diversi diversarum nationum genii imbibuntur, & consuetudines populorum ac mores cognoscuntur, quarum rerum notitia insignes effecit viros ad artes tam pacis quam belli idoneos. Plato, Lycurgus, Solon & Pythagoras varias obeundo provincias Prudentes Legumlatores & Philosophi evasere. Hinc nota, quod futuro JCto necessaria sit hæc magna prudentiæ Magistra, experiendo enim discere potentissimum discendi genus est, & prudentior plerunque est is, qui Ulyssis exemplo

De peregrinatione JCto necessaria.

*Multorum mores populorum vidit & urbes.*

*vid. Conring. d. peregrination. Lebleu instruction. futur. consiliarii. cap. 4. Bernegger. quæstion. 173. ad Tacit. Besold. in Politic. lib. 2. c. 1. Senecam epist. 104.* caveat tamen sibi peregrinans noster, ne primo sine aliquali liguæ cognitione, quæ apud illas, quas invisere parat

rat gentes, floret, proficiſcatur, ne ad ludum potius Graminatticum quam ad peregrinationem vadat. Nec ſecundo ut puerum ignota mirantem ad breve tempus rerum tantum novitas detineat, nec, ut plerique faciunt, regionum varietatem, animantium ac ſtirpium naturas, vel ædificiorum & pyramidum ſubſtructiones, aut eroſa veterum numiſmata tantum miretur, ſed Leges ac jura populorum rerumque publicarum, ſtatus & converſiones ex quibus ſolida prudentia moderandæ civitatis comparatur, ſcrutetur; *cum Legatorum miniſtris interioribus, quos Secretarios vocant, familiaritatem contrahat*, hoc enim pacto in una regione peregrinando etiam plurium regionum notitiam ad ſe attrahet. Deſinet ſic multa mirari, vanitates æſtimare, opinioneque, quæ imbecillitatem animorum torquet & flectit quocunque vult, laborare, nec omnia prout ante poſt fornacem ſedenti contingebat, juxta naſi ſui vel

Quomodo peregrinandum.

proboſcidis longitudinem menſurabit.

Nomothesiæ pars formalis.

Sed properandum eſt ad tertiam, quam *formalem dicunt Nomothesiæ partem*. Quoad hanc videndum: quando, qua circumſpectione, quomodo proponi debeant leges. Ad primum nota, ne temere corrigantur, derogentur, abrogentur, multiplicentur, ni ſtatus publicus ejusque utilitas id poſtulet. quia novitates ſolent ſcandala parturire. eſt *l. 2. ff. d. conſtit. princ.* & crebra Legum mutatio imbecillitatem judicii politici arguit. hoc autem cognoſcere prudentis, verique Jcti eſt. Zaleucus Locrenſium Legislator ſanciebat, ut *quisquis legem novam introducturus eſſet, circumpoſito cervici laqueo id faceret, ut autor ejus mox ſuffocaretur, niſi eximiam utilitatem nova legis ad antiquum reip. ſtatum declararet comparata. vid. Roſin. Antiquit. Rom. l. 8. paralipomen. add. Forſtner. ad 3. An. Tac. c. 25. 26.* Quomodo

Locrenſium Severa Legislatio.

autem

autem Leges proponendæ sunt? De eo prisci admodum fuere solliciti? nam illi non tantum brevissime Leges proponebant, non numero sed pondere verborum æstimandas, ut sic deorum oracula æmularentur, sed & illis semper aliquam religionis opinionem adjungebant, & ad certa Cœlitum numina, quorum beneficio communicatæ fingebantur, referebant; hinc Plutarchus religionem vocat coagulum omnis societatis, & fundamentum Legislationis. *vid. Ciceronem l.2. d. LL.* Ubi hanc partem dicit Legis proœmium cum Platone, *adde Justin. l.3.* De Minois astutia, qui se in antrum Jovis recondebat, ex eoque à Jove quasi traditas Leges afferebat, *vid. Lactant. lib. 1. cap. 22. Valer. Maximum lib. 1. cap. 1. junge Corasium de arte jur. cap. 16.* hæc cum à Dracone negligerentur, factum est ut sanguine non atramento scriptæ dicerentur ejus Leges, nec reciperentur, sed tacito Atheniensium

**Prisci novis Legibus aliquid divini plerumque affingebant.**

consensu oblitterarentur. *Gell. N. A. l. 11. cap. 18.* Quod si itaque tanta vanæ & falsæ superstitionis vis est, inquit Forstner. ut miseros mortales ea luserint antiqui Principes Legumque latores, vel ipse potius malus dæmon, quid non faciat in animis nostris vera nostra sanctaque religio Christiana *ad 1. Annal. cap. 28.*

CAP.

# CAP. VII.

## De Legum interpretatione politica.

*De Antinomiarum solutione. Doctores in disputatione obmutuerunt. De applicatione* Legum. *Collectio Topicæ* Legalis. *Collectio Proverbiorum ex* LL. De *arte* Juris. *De conceptione perfecti Corporis Juris, &c.*

CONsideravimus huc usq; JCtum Legum sanctorem, nunc considerabimus eundem, ut sanctarum Legum interpretem. Bene itaque Leges explicabit JCtus, si *prius* mentem ac sensum Legis perspexerit, nam prior atque potentior quamvox mens dicentis; est *l. 7. in fin. ff. d. supell. legat. l. 17. ff. d. LL. l. 13. d. Excusat.* *2do* Rationem Legis bene inquirat; & utrum illa ex æterno & nobiscum na-

to jure, an ex reip. usu deducenda. Sed nonne rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet? alioquin multa ex his quæ certa sunt, subvertuntur, est *l. 21. ff. d. LL.* id certe si JCto vero diceretur, miser ille esset, nec scire sed credere teneretur, quod quidem plebis & complurium pragmaticorum, non vero prudentis est. *3tio.* Si ambiguas atque legum diversis interpretationibus titubantes causas benigne atque naturalis juris moderamine temperet. Et hæc usualis & doctrinalis interpretatio ad JCtum spectat, Authentica vero & principalis ad principem, ad quem itur quoties duriorem legem componere cum aliis nec Doctores nec judices audent. 4. Sic occasionem juris sciat, quam ex historia juris hauriet, hæc tamen à JCto ignoratur nonnunquam, si Leges, prout Justinianeæ, sunt vetustæ, in illis enim plurima rerum monumenta, quæ ab auctoribus suis prolixo studio consignata erant, sunt abrogata & autorita-

ritate Cæsarea æternæ oblivioni tradita, ignoratur ergo interdum occasio, quod & *l. 20. ff. d. LL.* ostendit, ubi non omnium ratio reddi potest, nam si ibi ratio sumeretur pro utili & noxio Legis, turpe esset vero JCto hæc ignorare, melius itaque, pro Legum ferendarum accipitur occasione, *adde D. Conring. in dedicat. Hopperi. & dissertat. de var. & ver. Jurisprudent. pag. 119.* Occasio ferendarum legum ignoratur haud raro.

Scio tamen diversos diversa velle. Donellus rationem juris singularem subintelligit. quæ autem est singularis ratio? hic certe verum JCtum non excusabit *l. 2. §. 14. C. d. V. I. en.* ubi omnium habere memoriam & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis dicitur. 5. Optime & Jcto vero convenienter explicabit Legem, si illam cum statu reip. conferat, & judicet utrum Leges pro status ratione latæ sint, an illi adversentur, & hæc est politica & gravissima legum interpretatio, de qua supra ad partem Nomothesiæ naturalem jam actum est. Politica LL. interpretatio.

eſt. In omnibus autem Legum explicationibus caveat ſibi Jctus ab interpretationibus Legum duris, & illationibus alte petitis; neque enim pejor eſt tortura quam tortura Legum, torcular vini cum premitur fortius, vinum prodit acerbum, inquit *Bacon. de verulam. ſermon. fidel. 54.* caveat & ſibi ab obſcuritatibus, de quibus, & unde illæ oriantur, ſupra actum eſt, evitantur autem illæ, ſi prout dictum eſt; non tantum accumulatio Legum evitetur, præſertim earum, quibus obſoleta ſunt admixta, ſed & quæ Leges ſe invicem deſtruere videbantur, conciliientur.

Hic Nomotheta forſan non ſpernendam operam navaret, ſi Antinomias more Athenienſium examinaret, & quæ ſibi invicem obſtare videbantur, autoritate ſua dirimeret, hæc valitura illa exſtirpanda demonſtraret, ut cauſa diſſidii & nutrimentum fori tintinnabulis præcideretur, hæc de ſolutione Legum Authentica.

*Quomo-*

*Quomodo autem à ICto disputante objectiones & antinomiæ sint solvendæ* nunc videndum est. Sunt qui ad generales regulas recurrunt, quoties se aliter extricare nequeunt, ad hæc & alia confugiunt, multa jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse. est *l. 51. in fin. ad Leg. Aquil.* Non omnium quæ à majoribus constituta sunt rationem reddi posse. Nec bonæ fidei congruere de apicibus juris disputare. *ex l. 29. §. 4. ff. Mandat.* omnium habere memoriam &c. Alii facultatem & audiendi & loquendi plane amittunt, quod sæpius liberatis & eruditis hominibus, variis casibus, inter quos & noster est, contingere, testatur *§. 3. I. quib. non permiss. fac. test.* quibusdam in conspectu Audientium sudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æstuantibus solet, quibusdam tremunt genua dicturis; quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt, quod & *illi contigisse recordor, quicum certo & publico loco* Solutio Antinomiarum à Disputante observanda.

*mihi*

*mihi aliquando res erat, ibi parturie-bant montes, nascebatur ridiculus mus, & ille confusionis suæ culpam post in me talia non merentem publica excusatione transferebat.* ***Meminisse tamen debe-bat ille Causidicus & Sycophanta, qui Doctorem in utero gerebat,*** id est, der ein Doctor war biß an den Hals / und schön von aussen gleissete wie ein neugemünzeter Batzen. Turpe esse causas oranti, jus in quo versatur ignorare, est. *l. 2. §. 43. ff. d. O. I.*

Sed ad rem! Nonnulli modum solvendi ambiguitates his includunt versibus:

*Causa, locus, tempus, persona, rigor, novitasq;*
*Antiquum, bonitas; veto, consulo, præcipioque,*
*His si jungatur permissio, jus variatur.*

*Alstedius in theatro Scholastico Sect. 3. c. 8.* fontem omnium conciliationum ostendit, ex quo, si lubet, hos haurito distinctionum rivulos: Rem conside-

rari

rari dicit. 1. absolute vel respective. 2. per se & per accidens. 3. Actu primo & secundo. 4. simpliciter vel secundum quid. 5. Vere. 6. Eminenter. 7. late vel stricte. 8. Directe & indirecte. 9. Natura vel gratia. 10. Auctoritate & ministerialiter. Mercerius in Conciliatore 4. regulas ponit. junge Seduardum lib. 4. tit. 19. *Mihi videtur omnis disputatio bene procedere illi, qui solers est in excogitando dispari, & docenda diversitate*, conjecturis enim opus est, quoties in pactis est ἐναντιοφανεία. inquit *Grotius d. J. B. P. l. 2. cap. 16.* Quam disparitatem, si vult, plerumque fallacia aliqua ostendere potest, hinc *Coras. de art. jur. part. 3. cap. 14.* dicit. Solvi in jure pleraque obscura aut per fallaciam æquivocationis, aut per fallaciam accidentis, aut per fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & certe responsiones pleræque ad aliquam harum reduci possunt.

Nec id falsi quem arguet, quod forsan

forsan hæc in applicatione non statim demonstrare queat, Leges enim nonullæ ita subtiles sunt, ut diversitas facti implicati, circumstantiarum coaceratio, & æquitas latens non ultro se offerat decisuro, judicium requirit sagax, nam & subtilissimos quandoque Dd. in hoc studii genere confusos & attonitos fuisse scimus. Philippus de Regio antiquus & maximus Legum D. ( *referente Paulo de Cast. in l. pater Severianam in princ. ff. d. condit. & demonstrat.* ) pollicebatur se velle respondere ad quælibet, in materia tamen ultimarum voluntatum arguente Baldo confusionem maximam passus est. De tali jactabundo Petro Bilardo refert *Glossa in l. quinque pedum C. fin. regund.* Quod licet se in omnibus LL. sanum sensum demonstraturum gloriatus esset, tamen cum proponeretur illi lex citata, eum obumtuisse. *vid. Trajan. Boccalin. Relat. 40. part. 1.* ibi non sine risu legitur ejusmodi jactabundum & disputax animal repressum. Magnus certe

Doctores in disputatione obmutuerunt.

certe Cujacius in disputatione pro cathedra Bituricensi turpiter stetit. narrat fuse *Joh. Robert. 1. animadvers. vers. ult.* Et disputantem, sic puto, absolvimus tribus verbis JCtum, jam quomodo LL. applicare debeat, consideremus.

De Applicatione Legum.

Applicatio certe Legis est practica adaptatio & vera intellectrix Legis, sic digeruntur quas in schola deglutiisti Leges, dicit *Baldus in repetit. l. Aemilius ff. d. minorib.* Et haec virtus est legis, applicare eas ad casus occurrentes, inquit *l. 10. §. 6. ff. d. Excusat.* Paulo altioris autem prudentiae est, ut quis tum ex manuductione Legum latarum, tum ex judicii quadam bonitate, jus ad singulos casus applicare, & quid in uno quoque rectum justum & injustum sit discernere queat. Haec res & haec necessitas peperit veros pragmaticos, & Jurisprudentiam, & hi ejus veri sunt termini *Bachov. ad Wesenbec. d. l. & l. num. 2.* nam saepe in obscuro est, non tantum eum quid sit factum, sed etiam sponte ne an invite, si sponte, num

num deliberato consilio an repentino animi motu; si invite an per ignorantiam, & qualem illam, vincibilem an invincibilem. Applicatur autem lex vel quoad verba vel quoad mentem, illa facilior & plana, hæc difficilior, ast elegans est quæ, si liquido quid ex lege nō constet, argumento cognoscitur, *l. 5. §. 6. ff. de re militar.* Sic & JCtus ex ratione tacita generalem regulam subtiliter deducere, & in legibus philosophari egregie potest, animi sensum si explicabimus uno vel altero exemplo obscuri non erimus:

Collectio Topicæ legalis.

Ita Modestinus *in l. 25. ff. de Testament. tutel.* dicit: duobus pupillis tutor datus, & si alterius tutela se excusare potest, cum reseparatæ sint, attamen alterius manet. Hinc colligitur Canon philosophicus: In separatis de uno ad aliud non infertur, seu: separatorum est separata ratio, ita *ex l. 29. ff. de instruct. l. instrum. leg.* Qua dicitur legata nove cum instrumento scapham navis deberi, colligitur: Plus & minus non faciunt differre genere,

nere, capiendo genus secundum JCtos, de qua different, *vid. Everhard. loc. 7. argum. leg.* vel: Diversitas accidentium non inducit differentiam specificam. vel: Accessorium sequitur naturam principalis &c. & sic posset perfecta *Topica legalis* colligi. In hisce studiis Bartolum & Baldum excelluisse testis est. *Matth. Gribald. Mopha in eleganti libello de ration. studend. l. 1. cap. 8.*

Collectio proverbiorum ex LL.

Sunt alii qui mentem legis proverbiotenus adducunt, communesque sententias & Adagia longo usu approbata non ineleganter ex jure hauriunt, ita ex *l. 22. C. d. administr. tutor. colligitur.* **Wenn die Henne zum Hanen geht / so vergist sie ihrer jungen.** *ex l. 37. d. Aedilit. Edict.* **Alte Hunde sind übel zu bändigen.** *ex l. 6. C. d. Servitut. & aqv.* colligitur: Charitas incipit à se ipsa, &c. & hæc sunt ornamenta JCti. Nobis properandum, & nunc ad id quod institutum est, propius erit accedendum.

De arte Juris.

Antequam autem hoc caput absolvamus, de arte juris nonulla venient dicenda, & an nostra Jurisprudentia in artem redigi commode possit, an illa jam redacta, videndum! Dicitur quidem Jurisprudentia nostra ars æqui & boni, collecta ista est ex naturalibus gentium & civilibus præceptis, & in vita utilibus, proponitur ut cæteræ disciplinæ practicæ, secundum finem, subjectum, principia. At ars nihil aliud est quam σύϛημα seu ordo certarum præceptionum, ex natura manantium, unumque finem spectantium. Quin etiam in jure nostro habemus progressus ab universalibus ad singularia, per notationes, definitiones, causas, ex quibus evinci posse videtur jus nostrum in artem redigi posse, imò redactum esse, prout probant Cujacius, Wesenbecius, Pacius, Fregius, *add. Matth. Stephan. d. art. jur. cap. 8. num. 5.* Et licet illud hactenus verum, quod cum Corpus nostrum Juris secundum Edicti perpetui formam concinnatum

tum ſit, non poſſit eſſe ſine omni ordine & diſpoſitione digeſtum, an vero illud artis nomen mereatur, ego animi pendeo, ſi verum amamus, vix eſt ut defendi poſſit, inquit *Treutler. 1. Diſp. 1. theſ. 2. lit. A.* poſſe tamen in artem redigi nemo ſaniorum negat, & Ciceronem ævo ſuo de jure civili in artem redigendo librum ſcripſiſſe apparet ex *Gell. N. A. l. 1. cap. 22.*

**Proceſſus in arte juris obſervandus.**

In novo autem Corpore Juris ita procedendum eſſe ſtatuunt. 1. Ut ſumma rerum capita totius corporis ponantur, *Coraſ. d. arte jur. cap. 9. Dn. Praſch de JCto vero & perſonato* 6. ſubſtituit rerum genera. De matrimonio, poteſtate patria, Servis, Contractibus, Delictis, Judiciis. Chopius in Philoſophia juris vera, duo hæc, poteſtatem ac obligationem, ut ſumma capita omnis Jurisprudentiæ pônit, videamustamen, ne dũ nimis breves & generales ſumus, ex auguſtiſſimo objecto anguſtiſſimum

mum faciamus, neve rem quam totam exhaurire destinaramus, vix ac ne vix tangamus, *aliud est scribere veram Iurisprudentiam, aliud pro ingenio aliquid invenire & differere de illa.* Certe prudentia quidem circa universalia, magis tamen circa singularia versatur. 2. Volunt ut positionum vis propria definitione declaretur. 3. Subjiciantur certa catholica præcepta s. principia. Videre licuit nonnullos qui non à posteriori sed priori rem ex principiis suis demonstrantes, accuratissimam ex rei natura depromptam definitionem tradunt, & ex illa tanquam perenni fonte omnem casum emergentem decidunt, hoc tutum quidem illis est refugium, sed ni totus fallor, nondum tamen ars juris. Nunc inquit *Forstner. ad 2. Annal. c. 34. Miselli Disputatores ut ad casum propositum respondere possint, tractatus & commentarios, & glossas & decisiones, & consilia evolvere*

*volvere necesse habent, donec inveniant casum in terminis.* Non igitur mirum esse debet, tam paucos esse consultos æqui & juris.

Sunt alii, qui duplici via conceptionem perfecti corporis tentatam fuisse tradunt, altera Mathematicorum, hi enim ex paucis principiis immensam vim Conclusionum eliciunt, putant ergo, hic immota principia poni debere, quæ à nemine saniorum in dubium vocentur, exque his perpetuum & naturale jus posse deduci. Alii tamen dissentientes hanc viam tutiorem & à pluribus tritam probant, in qua investigantur res naturales, ita ut ex observatione plurium singularium, quæ apud moratiores gentes pro justo habebantur, tandem generalem eliciant regulam, eamque pro vero juris naturalis decreto proponant. hanc secuti sunt Grotius & Seldenus.

**De conceptione perfecti Corporis Juris.**

*Bacon. de vernlam. sermon. fid. 61. aphorism. 59. dicit:* Novum digestum quinque rebus absolvi. *1.* Omittendo obso-

**Bacon. de verulā. de novo Jur. Corpore sententia.**

obſoleta, quæ Juſtinianus antiquas fabulas vocat. 2. Ex antinomiis recipiendo probatiſſimas, abolendo contrarias. 3. Leges quæ idem ſonant, expungendo, perfectiſſimum ex iis retinendo. 4. Leges nihil determinantes, ſed quæſtiones tantum proponentes faceſſendo. 5. Verboſas in arctum contrahendo. Sed ſi omnia hæc accuratius inſpiciantur, nondum formabunt Corpus juris novum, ſed antiquum deformatum reformabunt.

Clarorum certe ingeniorum palæſtra erit. Sed ſicut perfectus Orator, verum & perfectum bonum & optima civitas, deſcribi & delineari facile poſſunt, non autem facile reperiri, ſic puto difficillimi laboris futurum perfectam Jctorum philoſophiam, eamque omnibus ſatisfacturam ſcribere. Expectet eam felicius noſtro ſæculum, erit, qui collatis omnium opinionibus ante ſe agitatis, acri judicio elegantiora olim ſeliget & methodice diſponet, & demum ab aliis hinc inde diſperſa & præviſa digeret, hoc enim fre-

frequenter in aliis ſtudiis ſic eveniſſe memoriæ proditum eſt. Fruſtra, prout mihi videtur, hic aliquid ſperatur, *niſi quæ elegantibus verbis in actu ſignato oſtenduntur, in actu exercito demonſtrentur*, ante omnia autem Autoritas principis hic accedat, neceſſe eſt, quæ ſeligat paria huic oneri ferundo ingenia, invitetque digno præprimis præmio optimorum aliquot Jctorum, alios morali ſtudio excellenter inſtructos, & acutos denium philoſophos & philologos, qui omnem curam, poſthabitis aliis in hoc ſtudio unice collocent, *tum enim optimo quisque ingenio negotiis omnibus omiſſis totum ſe in cognitione & ſcientia collocare poteſt, ſi omnia nobis quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditantur*, inquit *Cic. in fin. lib. 1. Offic.*

Habito ſic præprimis ingeniorum ſelectu, communicetur deinde ſtudi-

orum labor, ne quisque dum novum ingenii fœtum nimio amore complectitur, suæ tantum inventioni faveat, damnato aliorum conatu. Alter alteri rectius sentienti cedat. Limato posthæc bene operi accedat denuo Autoritas publica, quæ laborem confirmet, publice proponat & protegat. Sed hæc altioris videntur esse indaginis. Non interest, quo quis consilio aut compendio ad veram philosophiam pervenerit, modo eam possideat. *Felix possessor! cujus mens regnum bona possidet.* Suæ nos quemlibet opinioni relinquimus, nam suæ quisque inventioni favet, & quasi fortissimum complectitur, cum ab alio dictum est quod ipse prævidit. inquit *Plin. l. 1. epist. 20.*

CAP.

# CAP. VIII.

## De JCto quatenus circa Jura publica versatur.

*Verus ICtus tractat Ius publicum. quomodo. Explicatur definitio Iuris publici. quæ sacra Romanorum. quæ Sacerdotia. Applicatio definitionis ad nostra tempora. Sacerdotum natura. quæ circa Religionem cavenda. quomodo Religio ad Politicum spectat. Refutatio Gebhardi. Magistratus quomodo in jure publico considerandi. An principia Iur. publici ex jure naturali & Gentium petenda. quomodo historia ad jus publicum tractanda. An à studioso illud in Academ. tractandum.*

SIc quoad privatorum utilitatem propositus est philosophus verus,

cum autem JCtus in Consilia principum assumatur, & circa latus eorum agat, uti loquitur *l. 30. ff. d. Excusat.* patet ea quæ ad statum publicum reipubl. spectant, negligi non debere, quod ita defendit Jacob. van der *Graef commentar. jur. municipal. ut cap. 1. num. 6.* dicat, *publico jure veram ac non fucatam Philosophiam absolvi.* Et olim JCos utriusque juris peritos fuisse rerum monumenta tradunt. Tubero testante *l. 2. §. 46. ff. d. O. I.* doctissimus habitus est juris publici & privati, *Gell. N. A. l. 11. c. 18.* Draconem juris divini & humani peritum fuisse ait. *Valerius Maximus l. 8. c. 8.* dicit Scævolam bene ac diu jura civium & deorum cærimonias ordinasse. Attejus Capito divini ac humani juris sciens dicitur à *Tacito lib. 3. Annal.* Idem prædicatum Coccejo Nervæ tribuitur à *Tacit. 6. An. cap. 26.* apparet ergo studia JCti extra limen privati Corporis proferenda esse, nec enim exiguis illis finibus omnia

omnia continentur. Hoc quidem jura Magistratuum & nonnulla alia ad statum publicum antiquum spectantia complectitur, quæ non negligere, sed ab ovo rem repetere debet, 2 dum §. 5. *proœm. Inst.* sed illa Jurisprudentiam publicam diu nondum exhauriunt, sed tantum vetus jus publicum tradunt; quod *Julius Cæsar Bulengerus de Imperio & Imperatore Rom. Pancirollus in notitia utriusque imperii*, & *Jacobus Guterus Gallus de Officiis domus Augustæ*, si conferantur, optime docebunt. Noster ejus potissimum reipubl. cui præest exacte sciat jus publicum, Edicta, decreta, pragmaticas sanctiones de jure sacro politico & militari, generalia provincialia & municipalia, sciat fœdera & nova cum gentibus finitimis, sciat regionis situm, fertilitatem, commoda, incommoda, populi genium, & post prudentia auxiliatrice illa digerat.

Explicatur definitio Juris publici. De quibus antequam pluribus agamus, primo videndum est, quæ Ulpiano mens sit, dum Jus publicum definit, quod in sacris, sacerdotiis & Magistratibus consistit, & an illa definitio moderno juri publico sit conveniens? Quæ sacra intelligat, quod

Sacra Romanorum. alia non sint, quam ex Ethnica superstitione profecta, statumque publicum respicientia, facile ex eo patet, quod paganus fuerit, ex historia rom. illa hic repetere supervacuum erit, imo ne in illa quidem terminabantur stata periplieria: & ista sacra non tantum apud Romanos; sed & alios Reges ad Magistratum spectabant. *vid. Clapmar. de arcan. rerump. l. 1. 15. Grotium de imper. summar. potest. circ. sacra c. 2. p. m. 28.*

Sacerdotia Romanor. Sacerdotia item plura erant; alia enim ad captandam principis gratiam excogitata invenio, sint exemplo Sacerdotium fratrum Arvalium: d. quo *Fenestell. d. Sacerdot. Rom. c. 3: Gell. N. A. l. 6. c. 7.* Sacerdotium sodalium Augustalium, de quo *Tac. 1. A. c. 54.* &c.

Alia

Alia superstitioso cultu Deos respiciebant, ut Sacordotium Panos, vestalium virginum, Martis, &c. Alia denique publicum tantum respexisse statum apud Historicos deprehendo, sic Sacerdotium fæciale, cujus Sacerdotes bella indicebant, fidei publicæ præerat. *vid. Fenestell. cap. 9. Gellium l. 16. N. A. c. 4.* Sacedotium Augurii regium inaugurationis curabat. Demum non omnia sacrorum jura pontificum potestati subjiciebantur, sed & si *Polydoro Virgilio lib. 4. d. invent. rer. cap. 14.* credendum, judex atque Arbiter rerum divinarum atque humanarum constitutus fuit. Hoc causæ erat Regibus antiquis, ut sacris & Sacerdotiis ipsi præessent, sanctequc illa jura custodirent. Ast cum temporis succcessu videret Rom. plebs tantum rei in hisce latere juribus, tribunitia potestate crescente, & in illa involavit, quatuor Pontifices creando, quibus præsidebat Pontifex Maximus.

Hæc omnia si ad nostrum statum applicentur, cuivis obviam erit ad sa- cra

Applicatio definitionis ad nostra tempora.

cra pro ſtatu moderno ſpectare uno verbo Regimen Eccleſiaſticum, quod conſiſtit in Legum Eccleſiaſticarum ſanctione, & Religionis tutelâ & cura. Religio enim ad externam felicitatem atque concordiam facit duplici ratione, quarum prior à divina providentia ducitur, habet enim pietas promiſſa non tantum futuræ ſed & præſentis vitæ, quod & pagani credebant, in quam rem ita clarum eſt Valerii Maximi teſtimonium, ut nihil ne à Chriſtianis quidem dici poſſit expreſſius. Non mirum, inquit, ſi pro eo Imperio augendo cuſtodiendoque pertinax indulgentia Deorum ſemper excubuit, quod tam ſcrupuloſa cura, parvula quoque momenta Religionis examinare videretur. Altera Ratio eſt à vi Religionis propria, quæ ejusmodi eſt, ut homines placidos, obſequioſos, amantes patriæ, juris & æqui retinentes efficiat. Pertinent & hodie ad ſacra, cognitio juris Pontificii, Agenda & Ordinationes Eccleſiaſticæ,

Religio.

aſticæ,

asticæ, Pax Religioni data, & Constitutiones de ea.

Apparet itaque, quam Jctus quoad sacra vigilare, principique suo sana Consilia in Ecclesiasticis suppeditare teneatur; sunt enim in Reformatis Ecclesiis Sacerdotes & Episcopi ipsi Principes, prout confirmant & testantur Constitutiones & Transactiones publicæ, *vid. Pac. Relig.* im R. A. *d. Anno 1555.* §. damit auch obberührte. *vide Lehman. d. pac. Relig. lib. 3. c. 20. Klock. d. Contribut. c. 10. sect. 1. num. 82.* habeant ergo Ecclesiarum & scholarum curam, maximeque caveant ne schismata, *Puritanimsus*, *Atheismus*; *Independentismus*; *Adiaphorismus*, *s. Libertinismus*, & illi qui Magistratus autoritatem violant, *Anabaptistarum, omni reip. exitialis superstitio erumpat*, ne novatores, periculosi semper, exsurgant, neve sacerdotes extra officium pastorale vagentur, animos subditorum pio colore adversus magistratum

Cavenda circa Religionem.

exacerbantes, ne civilibus sese immisceant, *sacerdotum enim quidam eo sunt ingenio, ut ni pareant, terri-*

Sacerdotum natura.

*tent.* Et multitudo, ut olim Curtius dixit, vana Religione capta, melius vatibus, quam ducibus paret.

Caveat etiam princeps, ne in Ecclesiasticis Ordinationibus privati sua autoritate aliquid immutent aut innovent, ne Ecclesiarum ministros jurisdictione Episcopali omnimodo destitutos patiantur usurpare excommunicationis & interdicti fulmina, plerumque enim vindictæ cupiditas pietatis terminos egreditur, quod in primariis Imperii civitatibus periculosas turbas dedit, ita ut publicus sæpe status periclitatus fuerit. Interitum Anglicanæ reipubl. quid aliud, quam nimia Regum, dicam incuria an conniventia in Ecclesiasticis acceleravit, quæ irreparibili damno Puritanismum nimis serpere patiebatur. Hæc eadem incuria Pontificis Romani stabilivit Monarchiam, quid enim

enim imperium Romano Germanicum tantopere attrivit, quam abjecta & in Pontificum manus resignata Religio! *adde Lampadii Remp. Roman. Germ. part. 1. §. 21. Mylerum de Princip. & Statib. Imper. cap. 9.* illam tamen Pontificis Monarchiam superstitiose auguratus est *Polydor. Virgil. lib. 4. de invent. rer. cap. 14.* ubi: Urbem Romam postremo perinde pontificia majestate gentibus moderaturam atq; olim potentia imperasset, miserum certe imperium diu à priscis Germanorũ in rhythmo elusum. Non insulsus ille, quisquis fuerit, dixit: **Die Regierung wird nicht durch** Pater noster **verwaltet.** Hispanum illum, ad Cæsarem Legatum, audiamus, qui sæpius inter amicos jactasse fertur: *Æquo longiores Germaniæ Episcoporum togas esse, eoque resecandas*, *Myler. Citat. Cap.* eleganter de hac Religionis cura agit **Schwartzkopff** / qui cum viveret,

*Comitiorum Oraculum* vocabatur, in seinem politischen Bedencken/ wie die Abusus Consistoriales durch vorhabende neue Kirchen-Ordnung abzuschaffen seyen.

Antequam autem hinc abeamus, satisfaciendum mihi videtur illi dubio, quo obcæcati non vident, *quomodo Religio ad politicum Imperium pertineat*; fidem enim non esse affectionem politicam ajunt; Hoc certum quidem est, nos autem non aliam quam externi cultus curam ac protectionem religionis Principi politico tribuimus, quæ illi maxime & soli competit, in hac, si se bene habet, quies & τὸ bene reipubl. consistit, ob id *Deuteron. 17.* Magistratui injungitur hæc sacrorum cura, *adde 2. Paralipp. 19. Grotium de imper. summar. potest. circ. sacr. cap. 3.* Et hæc de sacris quomodo ad jus publicum pertineant dicta sunto.

Quomodo Religio ad curam politici spectet.

Non opus autem erat illa sacra ita explicare, quasi per illa innuatur Jurisprudentiam nostram quoad jus

sacrum esse Theologiam, quoad jus vero humanum Philosophiam contractam, prout tradit *Henr. Gebhard.* *in princ. jur. Romano-german. thes. 13. pag. 35. 36. &c.* ubi ex *Novell. 115. c. 3. §. 13.* quæ dicit; magis pro animæ salute, quam causis corporalibus laborandum esse, demonstrat principium illud à Christo apud *Matth. 6.* traditum: Quærite primum regnum Dei, &c. ex *Novell. 77. in proœm. & Novell. 141. in proœm.* disci debere illam sanctam regulam: Deum non velle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quæ alias legitur *Deuteron. 30. Ezechiel. 18. & 33.* nam licet ex textibus compluribus pietatis vestigia ad propositum adducta, appareant, hoc tamen respectu Jurisprudentia nondum Theologia contracta dici potest, & illa Jurisprudentiæ definitio à pagano scripta est.

Refutatio Gebhardi.

Ultimum quod in definitione Juris publici ponit Justinianus sunt Magistratus, in his enim eorumque accura-

Magistratus.

accurata cognitione latet maxima pars Juris publici, quod me tacente, *lib. 1. ff. & Codicis*, & *Notitia utriusque imperii*, quæ non sine fructu istis adjungetur dicent. Magistratus autem modernus est vel summus, prout Imperator, ad quem examinanda sunt ejus jura, præeminentia, & potestas, quomodo hæc conferatur, constringatur, exerceatur, reservetur, communicetur, finiatur. Vel minor & mediatus, huc spectant Electores, eorum officia, dignitas potestas, & jura. Pertinent huc cæteri Principes & status Imperii &c.

Juris publici proprie sic dicti definitio.

Hic tamen ad distinctionem illud, quod *Dn. Prasch bene monuit*, notandum, aliud esse scribere Jus publicum, aliud ad jus publicum, aliud de Jure publico, & sic proprie Jus publicum definit. *Complexum Legum civilium de statu reipubl.* hinc non quemvis discursum de jure publico, & ad Jus publicum statim esse ipsum Jus publicum.

Nec

Nec video cur *Mauritius de princip. jur. public. German.* non admittat genus Complexum, putat ita confundi Jurisprudentiam publicam & Jus publicum, hinc ille ita definit Jus publicum: Leges quæ directò & principaliter i. e. executione & intentione ad constitutionem & conservationem alicujus reipubl. spectant. Sed illud leve dubium est, nam & Jus Jurisprudentiæ nomine indigitatur, & definitio illa clara imo optima est.

Bases binæ in quibus hoc jus nititur, sunt historia & prudentia civilis, sed quid de jure Naturali & Gentium dicendum, an illud excludendum? Schütz *in Colleg. Jurispubl. vol. 1. thes. 5.* dicit, ex illis hauriri debere principia juris publici, cui ad stipulatur Mauritius & alii. Hoc negat *Dn. Prasch de JCto vero & personato p. m. 137.* ibi: Quid! natura jubet, ut Francofurti Rex Roman. eligatur? Ut Elector Saxoniæ præferat Imperatori gladium? ut octo sint Principes Electores? &c.

An principia Juris publica ex Jure Nat. & Gentium petenda.

Quæ

quæ si expressa essent ex principiis juris naturalis, non possent non eodem modo apud omnes populos definiri.

Hi tamen Autores conciliari possunt si dicas prioribus de causa efficiente remota; posterioribus de proxima sermonem esse. & illos per jus naturæ non nisi rationis rectæ circa moraliter agenda judicium intelligere, quod prohibet inhonesta, honesta præcipit. hinc *Fibig. in Electis jur. public. Roman. German. Generaliss. semidecad. 3. quæstione 3.* ita argumentatur: Quodcunq; jus fundatur in rectæ rationis judicio, nec non versatur circa ea, quæ homini naturaliter insunt quoad potentiam proximam, illud jus fundatur etiam in jure naturali. Secundo illos conciliare potes, *si distinguas inter principia Essendi & cognoscendi.* Natura constituit rationem, cujus suasu civitates sunt conditæ, idque ex instinctu quodam Naturæ, si itaque isthinc dependent civitates, dependebunt etiam jura sacro-

rum

rum Sacerdotiorum & Magistratuum, sine quibus nulla consistit civitas, natura enim volens finem, voluit etiam media.

Quod si ergo de principiis immediatis Jur. publici loquamur, fatendum ingenue est illa ex jure naturali non esse petenda, sed ex positivis principum placitis & constitutis. Jus autem publicum est vel proprium vel commune. quoad illud præsupponat necesse est historiam patriæ, ex quibus autem illam scriptoribus imbibere possit, docuit passim *clarissimum illud Germaniæ lumen Bœclerus & alij*. Ille vult historiam domesticam tractari debere 1. *per Isagogica & generalia*, quoad hæc commendat *Hulderícum Mutium*, addi possunt, *Iulius* Pflug *d. ordinanda rep. Conringii & Bœcleri omnia*, *Ludolfi Hugonis Dissertatio d. statuum Imperii in regionibus suis principatu, & Joh. Strauchii Exoterica. Lehmanni Chron. Spirens.* A*ventinus*, *Vorbur-*

quomodo historia Juri publico inserviens tractanda?

*Vorburgius &c.* 2. *per seriem temporum*, quam servare ait *Schardium in tom.* 4. *rer. Germanicar.* cui addi vult *tres tomos Pistorianos. addatur & Freheri Directorium legendæ historiæ German. præfixum tom.* 1. *coll. Germ. collecta Schardio, Vrstidio, Reubero, Pistorio, Reineccio, Meibomiis.* 3 *Per Syllogen Actorum publicorum*, qualia specimina sunt in *Goldasti* Reichshandlungen *& politicis Imperialibus. Hortlederi* actis publicis. *Theatro Europæo, & Diario Europæo &c.* 4. *per historiam selectam*, per quam intelligit historiam rerum quæ imperium nostrum proxime tangunt, Hispanicarum, Gallicarum, Belgicarum, Britannicarum, Suecicarum, Danicarum, ex illis exterorum actorum scriptis singularia ad rem Germanicam erui debere. 5. *Demum per historiam secretam*, quam in aulis secreto ab iis esse addiscendam, quibus principum secretiora intrare & perscrutari scrinia licet. Hanc enim cognitionem

quam

quam experientia & comunis rerum usus defert, præferendam esse illi dicunt, quam librorum suppeditat copia. *add. Limnæum I.P. lib. 1. c. 3. n. 8.*

*An autem juvenis studiosus in Academia hoc Jus publicum tractare debeat*, quæstio est ab aliis passim examinata. Negant tamen non pauci. & *1.* quidem *Frideric. Ros. de jure public.* quem citat *Dn. Carpzov. d. Leg. Reg. in præfat. ad Lector.* studium juris publici plane interdicit Jctis, illudq; ad Politicos spectare autumat. *Sutholt. Dissert. 1. thes. 43.* dicit incognitũ minusq; esse necessarium. Alii Syrenes avocatorias vocant à privato studio. 3. Paucissimos ad consilia publica adhiberi. 4. Pauca in Corpore Juris, antiqua, moderna Juris publici nulla esse. 5. Nec debere cuivis notitiæ exponi arcana publica, privato sola privata jura esse tractanda, publica vero in Cancellariis & Archivis principum tanquam venerandæ rei depositum intra adyta sacri silentii diligenter asservanda, nec juvenibus utpote auditoribus inidoneis proponenda ac propalanda esse. **An studiosus Jus publicum tractare debet?**

6. Non

6. Non prout privata jura ad panem lucrandum facere. 7. Periculi rem plenam esse disputare & scribere de iis, qui proscribere possunt, *l.3. C.d. crim. sacril.* adducunt, ex qua perduellem vocant qui de Cæsaris potestate disputat. 8. Quod si talibus traditionibus erretur, errores istos in rempubl. inferri.

Sed omnia hæc facilia & in compendio refutanda sunt. Jurisprudentia, quam studiosus ambit, est divinarum atque humanarum rerum notitia, per illas res divinas vix aliud commodius intelligi potest, quam jus publicum, docet hoc *Tacit. l.3. Annal.* citato, ubi: Atteji Capitonis insignior familia fuit, quod humani divinique juris sciens egregium publicum & bonas domi artes dehonestaret. Et cur non discat studiosus, unde ergo patriæ auxilia sunt speranda, an à peregrinis? An tantum ab Aulicis? *Limnæus cit. loc. dicit:* Quod si publica hæc jura sibi privative concredita velint Aulici, agant, originalia exhibeant,

beant, poteſtatem nos doceant, facultatem probent! Certe non ſine decore patriæ ſcribitur *à clariſſimo quodam, quem ſemper veneror*, cum pax tractaretur Oſnabrugæ & Manaſterii, huic negotio viri ſummi adhibiti ſunt, ſed imperiti rerum Germanicarum, hinc magna pecuniæ ſumma emercata eſt juris publici notitia.

Quod periculoſum eſſe dicunt, reſpondendum eſt, caute ſcribendum fuiſſe in Jure publico, ſine injuria principum, & quæ dubia adhuc inter Cæſarem & ſtatus ſunt, ab illis ſacris profanas abſtinendas eſſe manus, *adducta l.* ſe ipſam interpretatur, aliud enim eſt de poteſtate, aliud de judicio principis diſputare. Nil itaque moveant objecta Adoleſcentem procum, quin in pulcherrimæ hujus virginis amplexus & oſcula ruere properet. *Limnæus in dedicat. tom. 1. d. Jur. publ. eleganter ita:* Ego, inquit, ſane *ſtudioſos Juris inter miſerabiles perſonas retulerim, ſi tantum privati*

*vati juris libris tanquam adscriptitii suæ glebæ adhæreant.* Perfecti certe & veri JCti nunquam illo carere possunt, imo est hæc positio Juris secundum *l. 1. ff. d. I. & I.* merito itaque & in hoc eruditus sit juvenis, ut spes illam foveat, posse olim remp. in partibus sibi credendis ab eo gubernari.

CAP.

# CAP. IX.

*Definitio vera Philosophiæ & Simulatarum. Notio Characteristica inter Politicum, JCtum, Legislatorem. Bonitas quæ in JCto desideretur. Definitio veri Philosophi. Dignitas JCti, Comites à JCtis originem trahunt. Cur Jctus dictus fuerit Sacerdos. Media ad veram Philosophiam ducentia, &c.*

DIctum itaque est de officiis veri JCti, quibus præsuppositis videamus demem quomodo veram nostram Philosophiam, verumque Philosophum definiamus. *Hopperus* illam dicit, *quæ in vulgus hactenus incognita, certa via ac ratione certisque principiis ex natura notis constat, unde non errans & vaga opinio, sed stabilis & firma scientia existit.*

Sed ille licet in omnibus mihi satisfaciat, hic tamen cur ab eo discedam, rationes in promptu habeo. Primo enim definit quid res non sit, cum tamen definitionis proprium sit explanare quid res sit, hinc *Cicero in Top.* dicit: Definitio est oratio, quæ quid sit id de quo agitur, ostendit quam brevissime. Est & nimis generalis definitio, quæ eadem studio & philosophiæ morali accommodari posset. Describerem ego, quod nihil aliud sit, quam:

*Solida & perfecta ex principiis naturalibus & certis depromta jurium prudentia, observans remp. & perficiens Subjectum.* Sed nec sic mihi videbar ex omni parte satisfacturus, imo discretrix ac Characteristica illa notio inter Jctum nostrum seu verum Philosophum, Politicum & Legislatorem nondum apparet, quæ tamen in dubio & obscuro esse non debet, nisi omne quicquid inter hos est discriminis confundi mali-

mus.

mus. Verum quidem eſt nos ex aliis diſciplinis multa ſuppoſuiſſe adferenda ad veram Philoſophiam, nec illud mihi excidit, quod ſupra volui Jctum noſtrum præmittere debere Politica, nec Politici miniſtrum eſſe, nondum tamen exinde ſequitur non eſſe diverſos habitus inter illos, ſed quoad eosdem hoſce inter ſe convenire.

Certe ſi contradiſtinctè loquendum ſit, Politicum qua talem, latius aliquid eſſe Jcto apparebit, ille enim circa omnes reſp. imperiorumque rationes ac utilitates verſatur, omniumque rerum, functionum in ordine ad quidlibet, ſub omni conſiderandi reflexione, quæ in & circa civitatem totam conſiderandæ ſunt, eſt Moderator & Arbiter, cum contra Legislator tantum ſanctionem Legum, ex ſuppoſito jure æterno & utili reip. ſecundum examen rationis ſtatus intendat.

Differentia inter JCum, Politicum & Legislatorem.

Juris Conſultus vero in omnibus perinde rebus, primariò tamen ſecundum unicum conſiderandi habi-

tum & respectum ad justum & injustum occupatur, quatenus illud ex jure naturæ & Legibus positivis derivatur. Et sic apparet *primo.* Jctum principaliter & proprie esse æqui & justi interpretem, custodem & vindicem. *Secundo* illum cum Philosopho morali in objecto convenire, adeoq; illi non tantum positivas sed & æternas leges, moresque populorum cultiorum esse tractandas. *Tertio* illum etiam, secundariò tamen, & ex necessitate derivativa utile reip. examinare.

Legumlator ergo minus aliquid est & Politico & Jcto. Ille Legem & sancita sua ex decreto ferre solet, & bonus est, si sua tantum reip. provideat, de cetero non est sollicitus. Sed hisce sancitis accedit deinde Politicus, examinans utrum illa è ratione status reipubl. lata sint, an secus, confertque illa cum Legibus aliarum rerumpublicarum & tum à priori, tum à posteriori per prudentiam digerit & examinat. JCtus vero qua talis, trutinat

tinat tantum & primariò, utrum ex æquo & justo statuta sint. Hæc inter illos & differentia, ut Politicus supremo gradu constituatur, quem sequitur JCtus, & demum Legislator. Contraham ergo vela, & ad id quod propositi erat flectam orationem, habitus scilicet JCti nostri, sive Jurisprudentiæ descriptionem quæ talis esto:

*Jurisprudentia est facultas practica, tradens docensque ex principiis divinarum naturæque praeceptionum, tum è* Legibus *moribusque receptis, ratiocinando & interpretando, quid justum injustumve, quid æquum sit vel iniquum, ut per debitam, quoad ejus ullo modo fieri potest, judiciorum in rep. ac in casu extremæ ac inevitabilis plane necessitatis bellorum quoque rectitudinem ad constantem justitiæ perfruitionem deveniatur vulgarem dicit Hopperus, quæ circa unius a-* Descriptio Jurisprudentiæ veræ.

 licu-

*licujus populi* Leges, *earumque vulgarem intelligentiam & usum versatur.* Hanc in duas facultates divi-dit, Leguleiorum & Pragmaticorum, de quibus actum jam est. *Assimulatam ita describit, quod circa juris & justitiæ umbras versetur.* Huc refert Sophisticen & Rhetoricam.

Apparet ex dictis, quis veri JCti nomine dignus, quis indignus habendus. Qui vera Jurisprudentia instructus est, qui possidet hanc τέχνην τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμην ἐπιστημῶν, hic Sacerdos juris, non is qui leges aut principis alicujus vel reip. constitutiones in memoria habet, sed qui omnium gentium, institutorum antistes est & eorum vim ac potestatem tenet, secus si fiat, ex sancta hac re, quæ olim filia erat judicii, faciet *pedissequam memoriæ*, ut *Malvezzi in politic. Christian.* loquitur. Is est, qui æqui naturalis peritus tacentibus scriptis oraculis aditur, consulitur, qui reip. cognitionem habet, utile ejus adjuvat, conser-

vat

vat vel destructum restituit, & prout Lucanus dicit, *qui jus mundi cognitum habet*, & hic est ille Philosophus, de quo *Plato dialog.5.d.rep.dicit:* Aut philosophi regnent in civitatibus, aut reges philosophentur; talem enim ipse delineat suum philosophum *dialog. 6. d. rep, in princ.* qui sit princeps civitatis, potens ad custodiendas leges & civitatum studia; & hunc custodem reip. constitui vult, quod eleganter in simili demonstrat desumpto à re nautica; prout allegato loco pluribus videri potest; elegantissime consentit, *Bodin. in præfat. method. historiar.* ubi hisce verbis lectu dignissimis exprimit imaginem veri JCti. Qui non modo præceptis ac usu forensi, verum etiam præclaris artibus & solida philosophia informatus, justitiæ naturam non ad hominum voluntates multabilem, sed æterna lege definitam amplectitur: qui normam æquitatis perite tractat, qui juris origines ab ultimo principio deducit, qui omnis antiquitatis cognitionem ac-

curate tradit, qui principis ſenatus, populi, Magiſtratuumque Romanor. imperium ac poteſtatem plane tenet: qui philoſophorum de Legibus & rep. diſputationes ad jus interpretandum affert, qui Græcam & Latinam lingvam, quibus deſcriptæ ſunt Leges minime ignorat, qui denique artem univerſam ſuis finibus deſcribit, generibus notat, in partes diſtribuit, verbis deſignat, exemplis illuſtrat.

**JCtus aurea ſtatua dignus.**

Certe hic meretur ob ſingularem Eruditionem, ut ſtatua illi ex ſolido auro in Apollinis templo ponatur, prout contigiſſe Georgiæ Leontino Empedoclis diſcipulo memorat *Valer. Maxim. lib. 8. cap. fin. & Plato in Gorgia*, qui fuit Iſocratis præceptor, & primus in conventu popoſcit, diceret qua de re quiſque audire vellet, ſe auſurum. *hunc Plato lib. 11.* præſtantiſſimum in arte dicendi, & pariter in rep. adminiſtranda vocat, licet paulo aliter de eo ſtatuat *Ariſtot. in fin. lib. 2. Elench.* Talis eſt verus noſter

ſter philoſophus & JCtus, ob idque Triſmegiſtus. *Gell. N. A. 4. cap. 11* juris Magiſtrum & ſapientem vocat. *Tacit. 3. An. cap. 75.* pacis decus. *Cicer. lib. 1.* de Orat. JCtum definit virum bonum, latiſſimo elegantiſſimo genere, quo vocabulo omne perfectum continebant. ita *Quintilian. lib. 12. Inſtit. Orat. cap. 1. 2.* Oratorem eſſe non poſſe, niſi qui vir bonus & philoſophia inſtructus. *Horat. lib. 1. epiſt. 7. Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratum*, hinc conjungebantur ſemper ſapiens & bonus, quod vera ſapientia non niſi in bonis atque inter bonos eſſe crederetur. Philoſophiam in hominem falſum atque degenerem tanquam in vas ſpurcum atque pollutum influere, verti, mutari, corrumpi & urinam fieri, aut ſi quid eſt urina ſpurcius, *adde Gell. N. A. c. 19.* hinc cum tractu temporis eruditio à bonitate divortium faceret clamabant prudentes: poſtquam docti prodierunt, boni deſunt *Sen. ep. 95.*

Bonitas quæ in JCto deſideretur.

Sit itaque bonus noster, timeat Deum, *l. 1. §. 5. C. de offic. præfect. prætor. Afric. l. 4. fam. herisc.* nec facilis sit ad malitiam & scelera, *si forsan in aurem ejus susurrent pecunia, Orphei Lyra & carmen Amphionis; & Musa Virgilii, ne ad vocem pecuniæ obumtescant reliqua.* Certe æquitas non nisi optimo cuique notissima est, prout *Quintilian. Orat. instit. lib. 12. cap. 3.* dicit. Noster autem, prout demonstratum est, est æquitatis custos, vel ob hanc ergo sit optimus, ne æquitatem ex affectu, gratificatione, jure cerebrino dijudicet. Nec tantum ad legem bonum volumus, illa enim angusta innocentia est, quanto latius officiorum patet quam juris Regula, inquit *Senec. lib. 2. d. ir. cap. 27.* quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt; quæ omnia extra publicas tabulas sunt.

**JCtus non tantum sit ad legem bonus.**

Quomodo ergo definiemus perfectum nostrum JCtum? *Giphanius in*

*in Tract. de Princip. jur. & LL. thes.* 20. definit JCtum, qui Juris privati ac publici, omnium denique rerum graviſſimarum ad reipubl. & ſingulorum ſalutem atque utilitatem pertinentium ſcientiam profitetur, Hornii definitionem cap. 6. allegavimus. *Henric. Moreelſe diſſertat. de manuduct. ſtudioſi. jur. per Academ. ad remp.* Ideam JCti hanc tradit: *JCtus eſt vir bonus; ſtudiis humanitatis primo edomitus, dein ſacri publici & privati juris peritia inſtructus, qui Conſilio, Oratione & ſtylo; juſtum ab injuſto ſeparando, æquum ab iniquo diſcernendo, Dei, populi & privatorum jura ſarta tecta tueri, lapſa erigere, & fatigata poſſit reparare; qui; quamcunque in rep. politicam aut juridicam ſortietur perſonam; eam decore ſuſtinere & ad publicam omnium, ac privatam ſingulorum ſalutem*

*& tranquillitatem dirigere possit & velit.* eleganter *Plin. epist. 22. l. 1.* Nihil, inquit, Aristone gravius, sanctius, doctius, ut mihi non unus homo, sed literæ ipsæ, omnesque bonæ artes in uno homine summum periculum in hujus valetudine adire videantur, quam peritus ille & privati juris & publici, quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? Nihil est quod discere velis, quod ille docere non possit, mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille thesaurus est. Habes JCti Amplissimi amplissimam descriptionem, brevibus ego mecum

Definitio veri JCti. JCtum talem concipio: *JCtus est vir bonus jus suum cuique, (reip. Ecclesiæ, proximo, sibi,) publice ac privatim tribuens.*

Dignitas JCti. Merito itaque JCtus sanctis decoratur nominibus. Ab Imperatoribus *pro Parentibus habebantur, l. 4. C. locat. §. 4. I. quib. mod. I. P. solv.*

*amici*

*amici principum dicebantur* secundum *l. 4. C. d. contrah. stipul.* *Autores & Patres juris:* *Gell. lib. 12. N. A. c. 13.* *Comites principum* *argum. l. diem functo ff. d. Offic. Assessor.* Hodiernorum certe Comitum initia haud dubie à JCtis fuere. *vid. Speidel. notabil. polit. Coler. d. stud. polit. p. m. 135.* & versabantur olim JCti circa remp. & ab illis ut ab hominibus longe inposterum prospicientibus futura expectabantur, hinc Cicero ad Cælium scribit, πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognovi. &c. notanter etiam JCti *Sacerdotes* dicebantur, uti apparet *ex l. 1. ff. d. J. & J.* nihil autem Sacerdote erat sanctius, qui olim assiduus in templo, oraculis præerat, futura prædicebat, edisserebat quoque res divinas; Noster JCtus assiduus quoque in sanctissimo Justitiæ templo est. *vid. lib. 1. §. 5. C. d. V. jur. enucl.*

**Comites à JCtis originem trahunt.**

**Cur JCtus vocatus fuerit Sacerdos?**

oraculis præeſt, ſic enim paſſim leges dicuntur, prudentia qua pollet, futura prædicit, rem ſacram juſtitiam tractat, nec enim ideo ſacerdotes dicuntur, quod divinam aliquam Juſtitiam colant, ut opinatur Accurſius, ſed quia ſacrarum ac divinarum rerum notitiam certo reſpectu ad certum finem; humanam ſ. legalem juſtitiam componunt; & Leges ſacratiſſimas religioſe tractant; ex mente quaque conſtituentium interpretantur.

Illud certe nomen venerationem illis conciliat; ſunt enim quaſi Sacerdotes & Prophetæ divinæ voluntatis, & ut Sacerdotes in danda pœnitentia jus ſuum cuiq; tribuunt, ita & Jcti in judicando inquit *gloſſa ad l. 1. ff. d. I. & I.* Paganis Sacerdos & JCtus unus idemq; erat; nondum diviſa eo tractu juris divini humaniq; prudentia fuit, jus enim civile per multa ſecula inter ſacra ceremoniasq; Deorum immortalium abditum, ſolis Pontificibus notum fuit, adde *Duaren. d. ſacr. Eccleſ. miniſter. l. 1. c. 25.* ***hinc etiam illis de***

***Philoſo-***

*Philosophis, Sacerdotibus, Druidibus, Prophetis promiscuus est sermo.* apud Ægyptios qui jura administrabant, Sacerdotes ac Prophetæ erant. *vid. Horn: histor. philos. cap. 7.* Apud Gallos Druides non tantum sacrificia procurabant; sed & de omnibus controversiis publicis & privatis constituebant & decernebant. *Cæs. lib. 6.* apud Germanos licet summam reip. administrationem non haberent Sacerdotes, prout testatur Tacitus, Magistratus enim in singulis pagis vicisque officium erat, attamen in conciliis & judiciis illos magistratui assedisse tanquam juris interpretes putat *Cluverius German. antiqu. lib. 1. cap. 24. pag. 164.* adde *Hugon. Grot. d. imper. summar. potest. circa sacra. cap. 9. p. m. 201. &c.* Hebræorum Sacerdotes juribus præerant *Deuter. 17. v. 18.* adde *Ezechiel. cap. 44. 24.* Romanorum Pontifices illa sancte tractabant. *lib. 2. §. 6. ff. d. O. I.* imo ipsi Imperatores ab Augusto ad Gratianum Pontifices maximos se cooptari volebant,

stabant, ut sic juris scientiam & Legum interpretationem penes se haberent. *Arthur. Duck d. Aut. Jur. civ. lib. 1. cap. 3. thes. 7. Hopper. lib. 4. d. O. I. Tit. 31.* Sacerdotem dici autumat ab illo sacrificio omnium sacrificiorum maximo, quod sacrificium Justitiæ in Psalmis vocatur, in quo non oves aut boves, sed homines & quidem optima eorum pars, voluntas Deo offertur. add. Ehem. d. princ. jur. lib. 5. c. 8. p. 334. *Resipiscant itaque illi boves à sacerdote nostro si non mactandi, tractandi tamen durioribus, qui cum Ænea Sylvio ep.* III. *asserunt talem esse juris disciplinam cuius Asini possunt esse præceptores*, satis enim abunde ex demonstratis apparet, quæ & quanta studia, quis labor, quæ educatio à teneris ut Græci ajunt, unguiculis huc sit afferenda, quodque nulla bene constituta resp. hisce caruerit aut carere possit, horum internecionem qui optat, Luporum iniquis postulatis apud Phrygium fabulatorem assimilatur, qui sicut per canum capita gregis interitum, ita illi per JCtorum interitum reip. quærunt mortem.


Pie autem & bene in fine *lib. 4. ponit Hopperus* media veram philosophiam amplectendi esse: ***divini Numinis invocationem, Naturæ bonitatem. Laborem studiorum, & Longi temporis usum & exercitium,*** non enim quis triduo se Jctum profiteri potest, uti *Cic. Orat.* pro Muræn. dicit, dum de antiquis actionum formulis & ineptiis egregie disserit. δύσκολα τὰ καλά. Nec est ad magna facilis ascensus. Sunt quidem, qui *citius se* πολιτικωτάτυς *factos opinantur, quam coquantur Asparagi*, sed Scioppii sunt discipuli, & ille biennio in hoc studio tantum profici posse profitetur, quantum ad tuendum Jcti nomen satis sit futurum. *vid. consult. ejus 2. de scholar. & studior. rat.* Sed ***multi quidem sunt qui ferulas gestant, pauci vero Bacchi***, non enim obiter & quasi in otio philosophia nostra acquiritur, totum hominem postulat, est enim ejus cognitio diffusior, non sponte se offert ignavo, omnes vigiliæ curæ cogitationesque in illius indaga-

Media ad veram philosophiam necessaria.

indagatione sunt defigendæ, *add. Forstner. ad l. 2. Annal. cap. 34.* ibi elegantissime in hunc sensum differit. In laborioso totus gyro versatur JCtus, quem hoc, quod suggerit *Gothofred. ad l. 1. ff. d. peric. & commod. rei vendit.* recreet atque reficiat: ***Certissima ad Cælum via est nostra juris professio.*** Ambulent itaque sancti in ea, qui delitias futuras in cœlesti Academia proponendas exoptant, ibi verissima, non aberrans est Philosophia, quam post mortem demum complectemur, nunc mente stupidiores. Sic tandem ornabit & coronabit JCtum verum imo dissertationem nostram bonus.

**F I N I S.**

*Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.*



*Menda & errata dissertationis principaliora. Cætera ex æquitate benevolus Lector corriget.*

P. 15. lin. 1. lege: Senec. ep. 3.
P. 33. ubi: Atiftot. lib. 5. politic. c. adde: 11.
P. 40. l. 18. Religio, hæc.
P. 41. lin. 21. pro ubique, lege: cuique.
P. eadem lin. seq. pro plurumque, lege: plerumque.
P. 52. lin. 3. lege scirpo.
P. 53. lin. 16. lege: non Angusti.
P. ead. ubi: Arndius, adde: ad.
P. 60. lin. 7. lege: egeat.
P. 63. lin. 17. lege: plenam.
P. 69. lin. 23. lege: nummus.
P. 70. lin. 1. lege: cariota.
P. ead. lin. 6. lege: opes.
P. 71. lege: Pharum suam.
P. 92. lin. 24. adde ad non, tantum.
P. 94. lin. 4. lege: ut appareret.
P. 113. lin. 23. lege: nullam certe. P. 121. lin. 7. pro tantum, lege: hi. P. 124. lin. 6. lege forsan. p. 125. lin. 21. lege: antecessum. P. 128 lin. 22. lege: moralitatis. P. 132 li n. ult. lége. Sfortiam. P. 156. lin. 19. pro sic, lege: si. P. 159. lin. 16. pro liberatis, lege: literatis. P. 161. lin. 6. pro Auctoritate, lege: Auctoritative. P. 162. lin. 5 pro coaceratio, lege: coacervatio. P. 163. lin. penult. pro eum, lege: num. P. 164. lin. 18. deleatur, re, ut legas: separatæ. P. ead. lin. 24. pro nove, lege: nave. P. 165. lin. 2. pro different, lege: differentia. P. 171. lin. 4. pro olegantibus, lege: elegantibus. P. 177. lin. 10. ad verbum inaugurationis, adde: Actum. P. 177. lin. 11. post non, inseratur: tantũ. P. 190. lin. 8. pro tradictionibus, lege, traditionibus. P. 191. lin. 3 pro decore, lege: dedecore. P. 192. lin. 7. pro illam, lege: illum. P. 193. lin. 3. pro demem, lege: demum. P. 197. lin. 3. pro &, lege: est. P. 206. lin. 11. pro quaque, lege: quoque.

K







